This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

8° Z 94

S

...enſes,

...n minorum



...E R I I

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Westminster

Nobiliſſimis Honoratiſſimiſque Viris

JACOBO Duci de *Chandos*,

GULIELMO Baroni de *Abergavenny*,

WORTLEY MONTAGUE,
MARTINO BLADEN,
ANTONIO DUNCOMB,
JOHANNI CONDUIT, } *Armigeris*,

Comitiis Weſtmonaſterienſium *Anno* 1730

Præfectis,

Cæteriſque omnibus Regiæ illius Scholæ

Alumnis,

Luſus hoſce *Weſtmonaſterienſes*,
Summo cum obſequio et obſervantiâ,
humillimè offert dicátque

Kalendis *Januariis*,
1730.

R. PRIOR.

LECTORI S.

*L*Uſus *hoſce, amice Lector, et, ſi* Weſt-monaſterienſis, *amiciſſime, non oſtentationi ſed arctioribus Editoris rebus debes. Privata ipſius hæc eſt collectio, cui nihil de publico ſuppeditatum fuit niſi benigna amicorum ſubſidia; quibus comiter adjutus hoc opus, quâ ſpectas elegantiâ, in lucem tandem protulit. Nihil huc non* Weſtmonaſterienſe *irrepſiſſe ſperat, nihil aliud pro certo voluit: et ſi hi puerorùm luſus viros, ſeverioribus paululùm depoſitis ſtudiis, delectare potuerint, propoſito ipſius pulchrè reſpondebunt. Tyronibus certè erunt uſui, et in literarum ſtudiis teneros eorum animos ad æmulationem et amorem laudis acuent et excitabunt. Nihil hîc a moribus bonis alienum, nihil quod ipſos ab inſtitutione et diſciplinâ remiſſiores faciat, invenient. Nulli hìc inhoneſti ſales, nulla, ut in libris*

hujuſmodi

( )

hujuſmodi ſæpe nimis occurrit, ingenioſa im-puritas. Suum ſit igitur Editori meritum e-molumento proprio et juvenum ſimul utilitati conſuluiſſe. Et ſi hoc ei Lectorum benevolenti-am conciliaverit, ſi Weſtmonaſterienſes *præ-cipuè huic operi faverint, juſtam debitámque gratiam referet animus beneficiorum ſemper memor; et ſe punctum tuliſſe agnoſcet, quòd ſuo utili aliorum dulce immiſcuerit.*

ERRATA.

PAge 29. *Verſe* 7. Libyæ. *P.* 52. *v.* 15. Marlburius. *P.* 64. *v.* 13. dicta? *P.* 85. *v.* 1. rigoris. *P.* 102. *v.* 9. *lege* ſimul *pro* legis. *P.* 146. *v.* 5. Burgerſdick. *P.* 223. *v.* 4. nunc. *P.* 224. *v.* 1. imberbes.

[illegible] SES.

[illegible] patriæ.

[illegible] templi

[illegible] norem ;

[illegible] major erat.

[illegible] ſacros ex

[illegible]

[illegible] ſub duce

[illegible]

Ἀεὶ κρεῖσσον ὀφειλόμενον.

ÆRUMNIS graviter preſſus miſeràque ſenectà,
Solà, inquit, mea ſunt morte levanda mala.
Exoptata veni mihi mors gratiſſima rerum;
Mors venit, et tremulo ſic ait ore ſenex.
Debemur, fateor, tibi nos et noſtra; ſed, o mors,
Si placet, ulterius debitor eſſe velim.

Aliquis malo fuit uſus in illo.

POST victas urbes et belli tædia, miles
Ad patriam tendit mancus, et æris inops.
Emeritus ſubit inde domos, ingentia Regum
Dona, ipſis belli perfruitúrque malis.
Felices caſus! quanto præſtantius, inquit,
Cruribus, o ſocii, quam caruiſſe cibis!

Alterius res altera poſcit opem.

HOSPES, convivis ſaturentur ut intima corda,
Ut læto feſtum ſit geniale die;
Dulcia rite tuo commiſce ſacchara citro,
Miſtáque ſit lymphà virgine fortis aqua.

Jam non lautitiæ invideas epulíſve Tonantis,
  Tale nec illius pocula nectar habent.

Amica ſilentia.

Non ſatis inſtructos, rigidus Præceptor, alumnos
  Pythagoras annos quinque ſilere jubet.
Sic didicere loqui, útque loqui didicere ſilentes,
  Cum fari incipiant, cætera turba ſilet.

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν.

Undique cantores vocat ad certamina Cæſar,
  Et litem harmonicam commoveamus, ait.
Certatum eſt: palmam poſcit vocalior unus,
  Stultitiæque tulit præmia digna crucem.
Cantavit melius, fateor, ſuperando Neronem,
  Plus ſapuit, poterat quem ſuperare Nero.

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Congressus Parthis Craſſus poſt prælia prima,
  Vicimus, exclamat; terga dedere fugæ.

Inſtemus cedenti alacres, nec tela moremur,
Parthus ab averſo quæ jaculatur equo.
Quid facis? has acies mox acrior inſtruet hoſtis;
Certius ut poſſit vincere, Craſſe, fugit.

Animi levis eſt voluptas ultio.

JAM celebres egit Thomyris furibunda triumphos,
Et nati manes fortiter ulta ſui eſt.
At mox ſanguineæ Cyri caput injicit urnæ,
Sic inquit ſaties, Cyre, cruore ſitim.
Palma quidem dextram potuit decuiſſe virilem,
Ultio fœmineas ſed probat eſſe manus.

Ardua res hæc eſt opibus non tradere mores.

ATTONITUS Cicero, o mores! o tempora! dixit,
Cum ſua jam luxu perdita Roma fuit.
Quoſnam alios mores, quænam altera tempora Romæ
Expectet tantas Tullius inter opes?
Ut priſci redeant mores, ut tempora priſca,
Paupertas Romæ priſtina ſola dabit.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

CUR, Baco, nequicquam muros moliris ahenos?
Stat circumfuſo terra Britanna ſalo.
Deſine opus vanum: convellere nullus Achilles
Audebit muros, quos ſtruit ipſa Thetis.

ASPICE, quàm teneræ turgent in palmite gemmæ,
Prodit et in ſummum ſeminis herba ſolum.
Nequicquam mulcent auræ, ſol firmat, alitque
Fruſtrà purpureas terra benigna roſas,
Jupiter ipſe ſuo deſcendit plurimus imbre,
Parturit hinc fructus terra rigata novos.
Aurato quondam deſcendit Jupiter imbre,
Ditior hoc pluvio jam rigat imbre ſolum.

Arte emendanda eſt fortuna.

SÆPIUS optâſti nativas, Dædale, Cumas,
Dum Labyrintheæ te tenuere domus.
Sed fruſtrà: heu! patuit nec terra nec æquor ituro,
Sola levis tutæ ſpem dedit aura fugæ.

Nec ſpes vana; novas librans nam corpus in alas,
Tutus per vaſtum carpis inane viam.
Luditur artifici fati inclementia dextrâ,
Auráque ſola fugæ ſi patet, arte patet.

Aude aliquid.

Quid terrere poteſt ſperantem grandia? quid me?
Dat menti ſtimulos ambitionis amor.
An mihi tu Nioben memorabis honoris amantem?
Supplicium a ſuperis non tulit illa grave.
Namque hujus Pario dum marmore contegit oſſa,
Erigit huic ſtatuas hoſtis Apollo novas.

Aude hoſpes contemnere opes.

Camber natali celebrat convivia feſto,
Et fluit ad lautas plurima turba dapes.
Hic lac concretum torret pinguedine ſtillans,
Et properat proprios quiſque parare cibos.
Lauta quidem cœna eſt, cum jactes, Cambro-Britanne,
Quot tibi convivas, tot ſimul eſſe coquos.

[illegible]

[illegible] nos,
[illegible]
[illegible] rata
[illegible]
[illegible] jam
[illegible]

[illegible] errat
[illegible] er,
[illegible]
[illegible] pater.

[illegible]

Bibitur ex vitro.

Forte fuit bibulos inter clepſydra ſodales,
Quæ monuit celeri tempus abire fugâ.
Quidam ait, o, tecum mihi nil, clepſydra ; beati
Non norunt horas hoc numerare vitro.

Ponimus in menſam calices adamante notatos ;
Et Pholoæ ſacer hic, et ſacer ille Chloæ.
Quin ubi mox fugiens ætas et forma receſſit,
Frangitur in vitreo nomine priſca Venus.
Fruſtra, alate puer, tibi regna perennia ſpondes,
Quæ tibi cum fragili ſint peritura vitro.

Ad Comitem de Dorset.

Sculpis, docte Comes, vitrum dum nomine Nymphæ,
Phyllida ſeu malis ſcribere, ſive Chloen ;
Perge ultrà, et nympham Patriâ dignare Camœnâ ;
Marmoráque haud poterunt hoc ſuperare vitrum.

[illegible]

[illegible] *Walliæ* [illegible]

[illegible] ceps, [illegible]

[illegible] uáſque [illegible]

[illegible] it horas,
[illegible] aum.
[illegible]
[illegible]
[illegible] dit amatam,
[illegible] t.

[illegible]

[illegible]

Te

Te verò, in triviis tentantem carmina fruſtrà,
Noluit eſſe ſuum Smyrna, Chióſque ſuum.
Heu! quam parva feres ſolatia mortis in umbrâ,
Quod ſervet cineres illa, vel illa, tuos!

——Communis ſenſus in altâ
Fortuna rarus. ——

Ut multis opibus dignus ſit divitis hæres,
In propriâ genitrix hunc fovet alma domo.
Rura colit; nunquam invitum labor improbus urget,
Nec teneras lædunt vimina ſæva manus.
Non illum libri, non vexat cura magiſtri,
Nec niſi nutricis ridet amâtve ſales.
In quantum ſpe tollit avos! quis dignior hæres
Materno ingenio, divitiiſque patris!

Conſule quid valeant humeri.

Robustis fert mundum humeris, et pondere curvus
Sudat, et ingenti mole laborat Atlas.
Quos nervos, quam cervicem, quæ brachia, crurum
Quam validos nexus, tam grave poſcit onus!

O cautè incedas! minimus nam ſi tibi lapſus
Offendat greſſus, Omnia corruimus.

———Creditur ingens
Pauperies vitium.———

Auratos juvenis Pellæus geſtat amictus,
Creditur hinc magni filius eſſe Jovis.
At Cynici laceras ridet plebs improba veſtes,
Atque hinc contemptus dicitur eſſe canis.
Hic canis, ille Deus; dedit hoc diſcrimen amictus:
Si mutas veſtes, hic Deus, ille canis.

Cur neſcire pudens pravè quam diſcere mavis?

Coeperat ut Græcè jam balbutire, Catonem
Romani irrident neſcia turba ſenem.
Sperne tamen ſapiens Romæ faſtidia, ſerò
Nec pudeat Grajos poſſe tonare ſonos.
Qui jam te rident, te non didiciſſe pudentem,
Tandem erit his ipſis non didiciſſe pudor.

[illegible] *es.*

[illegible] rrite, fuſi.

[illegible] tos?
[illegible] s?
[illegible] icla,
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] teri.

[illegible] ilis;
[illegible] chi.
[illegible] xit,
[illegible]
[illegible] tro,
[illegible] cos.

[illegible] er.

[illegible] cius aures,
[illegible]
[illegible]
[illegible] is.
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible] illo;
[illegible]
[illegible]
[illegible] it.

Felix

Felix damnum, inquit, felicia vulnera! tales
  Integra non poterant membra parare lares.

Ex quo ſurgentes nobis promiſimus ædes,
  Ventis expoſitos ſeptima vidit hyems.
Artifice inceptum claro, et tot ſumptibus auctum
  Fruſtra, pendet opus, ſpes tamen una manet,
Quod non Hanneſius, non rex, proceréſque faventes,
  Hoc veteris tecti forte ruina dabit.

Sarmatico ſuperante, Getarum ex plebe virago
  Ceſſit in hoſtiles, bellica præda, manus.
Regi verna placet, mox et volventibus annis
  Fit thalami conſors imperiíque comes.
Non hæc ſtemma patrum, non copia dotis avitæ,
  Sed, quæ vincla dedit, ſors tibi ſceptra dedit.

Dant animos ſocii.

Sartorem populus timidúmque et dicit inertem,
  Sartorem vulgus denegat eſſe virum.
Quamvis non ſolus numero tamen ille valebit,
  Octo ſartores adde, Vir eſſe poteſt.

Quæ ſola attonitas tinnitu verberat aures
  Campana, heu! funus lugubre adeſſe monet.
Atqui cum turris concentu perſonat æris,
  Læta canens victos procubuiſſe duces;
Hæc quoque conſpirat, nuper quæ mœſta ſonabat,
  Cúmque aliæ placeant auribus, illa placet.

Cum primum aggreditur præcentor ruſticus hymnum,
  Vox tremit, et tremulo vix ſonat ore melos.
At populi ingeminat junctus cum clamor ad aures,
  Stridet, et egregiè templa canendo quatit.
Tot fluit in numeros, tot habet diſcrimina vocum,
  Ut ſolum hunc plenum dixeris eſſe chorum.

Antiquum Thami, vates, exquirite fontem,
  Ut primum exili deſilit unda vado.
Mox ſe addunt aliæ Nymphæ ſocialibus undis,
  Quæque ſuum excipiunt Naiades amne Deum.
Volvitur his ſurgens ſociis animoſior Iſis,
  Non alio ritu Thamiſis eſſe poteſt.

Da quod amputem:

Panniculos Barathro furtivos ſartor avaro,
 Quas aliena dedit copia, mandat opes.
At panno ne parce, etſi furabitur ille,
 Nam ſi vel minimum des, quod habebit, erit.

Da ſapere et fari.

Discipuli quinos Samii ſiluere per annos,
 Sic juſſit rigidæ lex veneranda ſcholæ.
Intereà hauſerunt docti præcepta magiſtri,
 Et taciti ſtudiis incubuere ſuis.
Hinc tantum Italicæ ſurgebat gloria ſectæ,
 Quod tum cœperunt, cum ſapuere, loqui.

Dat veniam corvis vexat cenſura columbas.

Implicat innocuum volitantis aranea muſcæ
 Corpus, et implicitum dira venena necant.
Huc illuc ſed apes tutà ſecat æthera pennà,
 Quæris apes cur non læditur? illa nocet.

Defendit numerus.

Irascens rabido clamat Fanaticus ore,
Quem clauſum tenuit Bethlemiana domus;
Cum totam plures inſanivêre per urbem,
Conſilium his ſanos perdere quoſque fuit.
Hinc victi numeris nos carcere claudimur, et quo
Sobria pars hominum vivimus ecce modo.

Blandior indulſit, felis, tibi Parca, novenâ
Nam tibi net Lacheſis fila novena colo.
Hinc, ſi miſſa voles celſi de culmine tecti,
Volveris in tutos præcipitata pedes.
Nec, miſeram licet infeſtent laniique, canéſque,
Te lanii exanimant, exanimántve canes.
Si moriare ſemel, ſi bis, ſi térve quatérve,
Plus quàm dimidiâ parte ſuperſtes eris.

Delirant reges, plectuntur Achivi.

Contra Pompeium dum ſævis, invide Cæſar,
Impius in Latiis ſtringitur enſis agris.

Hinc

Hinc ſancti patres, equitúmque hinc nobilis ordo,
  Et vulgi mixtim corpora fuſa jacent.
Rivalem ille pati dum neſcit, et ille priorem,
  Cogitur innocuus civis utrumque pati.

———— Demit honorem
Æmulus Ajaci. ————

Securus tacitâ dum Domitianus in aulâ
  Muſcarum ferulis agmina ſternit ovans.
Urbs regem delirum ultrò contemnit, et odit
  Tam parvo tinctas ſanguine Roma manus.
Quid mundum ſuperaſſe juvat? quæcunque ſuperbis
  Provenit ex aquilis gloria, muſca rapit.

———— De turribus altis
Det campana ſonum. ————

Infans vagitu dum perſonat æthera, nutrix
  Siſtere vult ſtrepitum, plus tamen ipſa ſtrepit.
Mox quatit a tenero pendentia cymbala collo,
  Hos puer arrectâ combibit aure ſonos.

Non

Non ita dulce melos, ſed dum campanula tinnit,
Neve infans vagit jam, neque garrit anus,

Westmonasterii Thomas dum deſerit arces,
Eque ruinoſâ turre coactus abit,
Ignotam Pauli migrans novus hoſpes ad ædem
Ingemit, et gemitu rumpit utrumque latus.
Rumpitur, et rumpatur: erat nam corde Papiſta,
Qui poterat Paulo præpoſuiſſe Petrum.

Dic aliquid de tribus capellis.

In mediâ pinguis reboat dum Nævolus aulâ,
Et vocum torrens præpes ab ore ruit.
Nobile nunc miſeri percurrit ſtemma clientis,
Et ſuper antiquis multa recenſet avis.
Quin tu, floridule orator, præconia mitte
Garrula; ne laudes, ſed tueare reum.

Dicam terreſtria ſigna.

Cæruleí pinguntur apri, rubríque leones,
Nec cycnus niger hìc rara videtur avis,

Te, natura, ſequi pictoribus una vetuſtis
Laus fuit, at noſtros non potes ipſa ſequi.

Dic mihi ſi fueris tu leo, qualis eris.

SI tibi communis detur cuſtodia cenſûs,
Dixti, quam juſtus, quamque fidelis ero!
At tibi ceſſiſſent cum vectigalia curæ:
Juſtus honeſtus homo, tu quoque quæſtor eras.

QUID pellem horriſoni tibi ſumis, aſelle, leonis,
Sic ſperans dominum fallere poſſe tuum.
Quamvis ſis tumidus tanti ſub imagine monſtri,
Detrahitur pellis, detrahitúrque leo.

Qui pater et princeps conſcendit Papa cathedram,
Diſtinguit ſeſe nomine quiſque novo.
Pro bonitate ſuâ Clemens vult ille vocari,
Ille ſuâ mavult pro Feritate Leo.
Sed bene Clementem, bene ſed perpende Leonem,
Sævus erit Clemens, et Leo mitis erit.

Dicite defectus Solis Lunæque labores.

Cum tua furta, Venus, clarâ Sol luce retexit,
  Phœbum quam velles occuluiſſe caput!
Occulit ille caput, ſed quæ ſpes, Diva, latendi?
  Cum prodat faciem non minus umbra tuam.

Ad Comitem de Dorset.

Cum titulos ornes et Avitos dignus honores,
  Cum noſtram hanc repetas non ſine laude ſcholam;
Si noſter cœlo radios ſubducat Apollo,
  Si noſtrum infelix obruat umbra diem:
Rebus in obſcuris te, lumina, poſcimus omnes,
  Ipſe orere, et Patrio ſidere ſparge diem.

Dies pulchro diſtinguitur ordine rerum.

Sæpe, puer, ſeriem actarum mirabere rerum,
  Reſpiciéſque tuâ penſa peracta manu.
Hanc conſumpſerunt Ciceronis opuſcula lucem,
  Hâc mihi Mæonides, hâc Maro, lectus erat.
Heu! celeri fugit hora gradu, fugiátque licebit,
  Dum manet in chartis, quæ fugit, hora tuis.

Difficiles aditus primi.

Exercet per rura obſcœnum ubi ſaga laborem,
  Faſcinat et porcos, diminuítque greges.
Veſtibulum ante ipſum primóque in limine fixa
  Ungula ſignatos ſacrat equina lares.
Ruſticus haud metuit pueris, licet oſtia pandat,
  Incolumem præſtant limina tuta domum.

Diſce tubo genitos haurire et reddere fumos.

Sanus es? extemplo facit ægrotare Tobacco,
  Æger es? hunc ipſum ſumito, ſanus eris.
Herba eadem ſanis dat morbum ægríſque medelam,
  Neſcio quid majus Pelias haſta poteſt.

Aldricius nobis nomen memorabile, Pæti
  Omnia qui novit commoda, ſic cecinit.
Pætum mane viget, marceſcit nocte, caditque;
  Primo mane viget ſic homo, nocte cadit.
Ut redit in cineres incenſum; mortuus omnis
  Sic redit in cineres, fitque quod ante fuit.

Quis

Quis non e tubulis diſcat nunc reddere fumos,
Vivere cum doceant et bene poſſe mori?

Dolus an virtus, quis in hoſte requirit?

Si Tydidem unquam victorem inducat Homerus,
Virtus per quam dux vicit aperta fuit.
Quod ſi victorem vates deſcribat Ulyſſem,
Jam Tros Dulichiâ plurimus arte cadit.
Sive hoc Troja cadat, ſive illo, nemo requirit,
Sed certè ut caderet victor uterque fuit.

Dos eſt magna parentum virtus.

Ardet Fabricius Romanum extendere nomen
Integer, indomitus pectore, ſpretor opum.
Sæpe triumphato redit haud ditatus ab hoſte,
Nec moriens natis quod tribuatur habet.
Sunt tamen haud inopes, nam tanto patre creatis
Dos, quodcunque potens Roma tenebat, erat.

[illegible] es.

[illegible] mori.

[illegible]

[illegible] triumphes,

[illegible] rit.

[illegible]

[illegible] Flacci?

[illegible]

BELINI ad portam ſecretum fœmina grande
Vicinæ tutis auribus impoſuit.
Rixantum hinc ſequitur clamor dirúſque tumultus,
Principium hinc capiunt prælia dira ſuum.
Quis neget ex minimo procedere maxima motu?
Cum, qui tanta dedit bella, ſuſurrus erat.

ISIS, per virides ſerpens argenteus ulvas,
Vix tenui inceptum flumine radit iter.
Mobilitate auget, viréſque acquirit eundo,
Thamiſis et rapidas in mare volvit aquas.
Sic fons exiguus vaſtum ſe expandit in æquor,
Oceanúſque, rates qui capit, Iſis erat.

USQUE colo et calatho aſſuetos operæque Minervæ
Virgineos digitos improba pungit acus.
Guttatim tenero diſtillat corpore ſanguis,
Exhaláńſque animam languida nympha cadit.
Infelix tua ſors, fatum et miſerabile, virgo!
Quàm telum exiguum, quàm grave vulnus erat!

Eſt locus unicuique ſuus.

Quid ruis armatum, Cytherea imbellis, in hoſtem?
  Quid gravis inſolitas conterit haſta manus?
Quid teneros durâ religas ſub caſſide crines,
  Infirmum valido cingis et enſe latus?
Tu, Dea, ſemper ames, nec tela virilia ſumas;
  Non galeata potes vincere, nuda potes.

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.

Sicca peragranti Lybiæ deſerta Catoni
  Hauſtus in inverſâ caſſide fertur aquæ.
Hanc tamen ille, urit quamvis ſitis arida fauces,
  Spectanti toto milite fundit humi.
O vis admiranda animi! dominatur in orbe
  Devicto virtus Cæſaris, et minor eſt.

’Ευσεβίης οὐκ ’απόλωλε χάρις

Insistas iter, Ænea, per tela per ignes,
  Intrepidus patriæ ſacra patrémque feras,

Circum

Circum acies Danaûm ſeſe licet undique fundant,
Innumeras ſtrages inter et arma virûm.
Te ſacrum defendit onus, ſervátque viciſſim;
Dum patris ſervas tu caput, ille tuum.

——Eutrapelus cuicunque nocere volebat Veſtimenta dedit pretioſa. ——

Thestylis invehitur plauſtro rudis hoſpes ad urbem,
Veſte decens, ſimplex moribus, ore rubens.
Hanc anus excipiens blandè, bona mater agreſtem
Mutare ornatum ſplendidiore parat.
O fugias, longè fugias fallacia dona,
Quæ ſimul indueris, Theſtyli, tota peris.

Excîdi nequeunt ſtultis hærentia.

Languida fœmineos ſentit matrona vapores,
Et queritur neque vel ſana, nec ægra diu.
Creber adeſt medicus, mannámque oleúmque miniſtrat,
Nec ſuperat bilem Manna oleúmve gravem.

Bajarum

Bajarum tandem lymphas petit illa ſalubres,
Ne tamen hinc ſponſus ſperet ineptus opem.
Dum multo ſplendet populo Bathonia, ſemper
Vere renaſcentem ſentiet illa febrem.

Exigui eſt animi velle et non poſſe nocere.

Quem mors Hiſpano de carcere ſolvit amica,
Hæretici ad pœnas ducitur effigies.
Lene ibi tormentum panni patiuntur, et igni
Devovet errores lintea imago ſuos.
Nugæ! ſi ſequitur manes cura ulla ſepultos,
Hæretica innocuas deſpicit Umbra minas.

Ex ovo omnia.

Anser erat quondam (veterum ſic fabula narrat)
Aurea quæ Dominæ protulit ova ſuæ
O felix domina, atque ales pulcherrima! certe
Ex ovis poſſunt cuncta venire tuis.

[illegible] *[illegible]s.*

[illegible] ægrotis

[illegible]

[illegible] criſpo,
[illegible] acit.
[illegible] tum ;
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] roſa.

[illegible] ſanitas,
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Callida

Callida anus magis eſt, magis an tu credula turba?
  Callida anus, ſed tu credula turba magis.

Dum mentita genus, cultúſque induta viriles,
  Romanum geſſit Papa Joanna pedum.
Fœmineæ fraudi grex ſe commiſit ineptus,
  Atque piè verum credidit eſſe ſenem.
Paſtori nimium tu, Roma, heu credula; namque,
  Si nequeat falli, fallere Papa poteſt.

Fallere plana ſolent.

Vir fuit, exigua a collo cui lintea pendent,
  Cui veſtis, cui frons ſobria, curta coma.
Protulit hic merces; ſeu ſumas, ſive relinquas,
  Hæc bona ſunt certè, dixit, et impoſuit.
Non puduit falli; quis enim non fallitur, inquam?
  Sed falli a tantâ ſimplicitate pudet.

——— Falſos in tempora crines
Addit. ———

Incedis calvo ſpectandus vertice, Cæſar,
  Seu Libyæ ſoles fers, Britonúmve gelu.

Nil tibi crine opus eſt; quocunque ſub axe moraris,
Quæ tua defendat tempora, laurus erit.

SUNT hic queis volitant humerum per utrumque capilli,
Inque ſinus multæ defluit unda comæ.
Credas hos ſuperâſſe καρηκομόωντας Ἀχαιοὺς;
Sin intus ſpectes, plus ſapuere Phryges.

Fas eſt et ab hoſte doceri.

FRUSTRA indefeſſus perfers, Catilina, labores,
Dum cura adverſi conſulis æqua tuæ eſt.
Dum tu das operam, magis hinc dat conſul; et hoſti
Terror et exemplum fit tua cura tuo.
Diſcit ab hoſte ſuum devincere Tullius hoſtem;
Et, cur nil timeat, colligit unde timet.

Faſtidit olus qui novit regibus uti.

EST Petrus e ſylvis, viridi tunicatus amictu,
Neſcius humanos fingere voce ſonos.

Decuſſæ huic quercu glandes, herbæque fuerunt
Pabula, theſauris ſepoſitæque nuces.
Limina nunc regum viſit, nunc divite luxu
Paſcitur, ignotis luxuriátque cibis.
Quò cito dediſcas glandes herbáſque nucéſque,
Ut ſapit Ulricus, tu quoque, Petre, ſape.

Fatetur quis ſe ſcire nihil?

Cum ſoli Grajas ſeptem ſapuère per urbes,
Quam ſapiens ætas! quam bene docta fuit!
Sed nunc vix totidem ſe ſtultos eſſe fatentur,
Cedite nunc ſec'lis ſec'la priora novis.
Tum ſapiens ſcriptor, populo plaudente, tacebat;
Quiſque ſibi plaudit nunc, populúſque tacet.

Felices, quorum nova mœnia ſurgunt.

Ad Comitem de Burlington.

Surgentis Trojæ condunt nova mœnia divi,
Auſpicio ſurgant ut meliore lares.

Arx Trojana Deis ; Te, Burlingtone, ſuperbit
  Noſtra, nec artifices mallet habere Deos.

Fictis jocari ſemper fabulis.

Civilis trahit in partes diſcordia Romam,
  Et ruit in ſacros plebs maleſana patres.
Fabellà attentas Agrippa Menenius aures
  Detinet, atque omnis protinus ira cadit.
Debes imperium, et leges, et patria jura,
  Huic tempeſtivo, maxima Roma, joco.

Fortiter ille facit qui miſer eſſe poteſt.

En ! ſequitur ſed non dejecto Regulus ore
  Victoris, victor non minus ipſe, rotas.
En ! ſolitâ facies eſt majeſtate verenda,
  En ! quam terribilis regnat in ore decor.
Membra mihi laceres, Carthago ; et ſit decus, inquit,
  Impoſuiſſe tuum vinc'la, tuliſſe meum.

Fronti multa fides.

Thais anus damnat generoſi pocula Bacchi;
Sola, inquit, noſtram mitigat unda ſitim.
Verbis nulla fides, ſed fronti plurima: rubro
Noſcitur ex naſo, quod bibit illa merum.

Miraris quarè incedas quocunque per urbem
Turba tibi eſt omnis vaticinata crucem.
Dicam: ſuſpecto cum ſis tam nubilus ore,
Fronti multa tuæ eſt, hinc tibi nulla fides.

Ante fores pendet fons notum inſigne tabernæ,
Et late pictas ejaculatur aquas.
Vinoſi, procul eſte, merum ne quærite; ſigno
Multa fides, nam plus invenietis aquæ.


—— Fruſtrà qui ſplendeat, unus et alter Aſſuitur pannus.——

En ſartor tunicam, conjungens fragminibúſque
Fragmina relliquiis relliquiáſque, facit,

[illegible]

[illegible]

[illegible] tis,
[illegible]



[illegible] ſcripſere
[illegible]

[illegible] uellas
[illegible] nt ;
[illegible] ellam
[illegible]
[illegible]
[illegible] or,

[illegible] e mille
[illegible]

[illegible] de,
[illegible]

Quod

Quod ſpectant te mille oculi, placet hoc tibi, Reade,
Quod te non ſpectant, hoc tibi, Reade, placet.

Antoni, indignum miſeri poſt funus amici,
Declamaturus pulpita celſa petis.
Hinc turbam ipſe vides, hinc ipſe videris ab illis,
Et contracta tuo pendet ab ore cohors.
Quot te dicentem infixi mirantur ocelli,
Marce, tot ultor habes in tua juſſa manus.

Ad Comitem Nottinghamiæ.

Insani penitus quod dogmata conterat Arrî,
Egregium profers, nobilis Auctor, opus.
Utraque promeritas tibi fert Academia grates,
Et Cleri laudes vox ſonat una tuas,
Sæpe inter proceres oculi te mille loquentem
Vidêre, innumeri ſed tua ſcripta legunt.

Genus niſi cum re vilius algâ.

Fert lænam ex humeris pendentem ſutor Iberus,
Et longo macrum cingitur enſe latus.

Jactat

Jactat avos, quamvis vacuâ, proavóſque, crumenâ,
Et vanâ exultans nobilitate tumet.
Abjice vel crepidam, ſutor, vel nobilitatem ;
Non bene fert crepidam tam generoſa manus.

——— Grande doloris
Ingenium.———

Carcere clauſa nigro dum flet Philomela, nefandum
Prodidit ingenio, quod nequit ore, ſcelus.
Tereos inceſti depingit callida crimen
Veſte ſuper, doctâ quam variavit acu.
Quid non poſſe putas fieri dictante dolore ?
Aut ubi non lingua eſt, ſi neque dextra tacet ?

Gratia ab officio quod mora tardat abeſt.

Mille fatigatus votis precibúſque pudicis,
Hermogenes, panſo gutture, dulce canis.
Num ſperas grates ? vocis pretium antè tuliſti,
Jure ſuo cantum tot meruere preces.

…ſes.

… in agris

… calentis,

…r,

…as.

…rpunt,

[illegible]

[illegible]

Prodiga

Prodiga quas contra fuſos impendit Iberos
　Anglia, nunc Anglis reddet Iberus opes.

Cætera dum poſito miteſcunt agmina ferro,
　Armis ſplendet adhuc Finsburiana cohors.
Diſpoſitas hinc inde acies longo ordine pandit;
　Confertur denſus pes pede, vírque viro.
Perge, animoſa cohors, victrix ſine clade triumpha,
　Prælia tu paci non inimica geris.

Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Qui nummum et veſtes miſero mœſtiſſimus ore
　In triviâ a populo prætereunte petit.
Accipit et veſtes et nummum, at munus inane;
　Namque iterum eſt nudus cras, iterúmque rogat.
Mitte ſupervacuos ſumptus et inutile donum,
　Seu dare, ſeu libeat non dare, nudus erit.

——— Hic vivimus ambitioſâ
Paupertate omnes.———

Vestibus, inceſſu, galeâ, plumíſque ſuperbus
Hiſtrio regales ſcenicus æquat opes.
Terrarum hunc Dominum Pellæum aut Cæſara credas,
Aut Pyrrho heroem dixeris eſſe parem.
Nec tamen imperium cordi huic, nec gloria ſceptri,
Una ſed hæc, ut cras prandeat, ambitio eſt.

His ſaltem accumulem donis et fungar inani
Munère.———

Cur ſcripta Aldricius mandavit dulcia flammis?
His tumulum donis accumulare juvat?
Cur nimium ſancti hæredes mandata ſequuntur,
Nec cauti nobis conſuluère magis?
Sunt, ſi ſpectemus cui dentur, inania dona;
Si Patriam ſpectes, ſunt pretioſa nimis.

Auspiciis, Aldrice, tuis nova mænia ſurgunt,
Atque implet multus ſcrinia docta liber.

Excolit

Excolit ingenuam felix tua cura juventam,
  Nec finis auguſtam degenerare domum.
Præcipuum tamen hoc ædes tibi regia debet,
  Quod dignos, vel te qui ſequerentur, habet.

Cum ſubit illius lætiſſima frontis imago,
  Quam noſtri toties explicuere ſales;
Cum ſubit et canum caput, et vigor acer ocelli,
  Et dignâ miſtus cum gravitate lepos:
Solvimur in lachrymas; et, inania munera, verſus
  Ad tumulum ſparſis fert Elegeia comis.
Aldricio, debent cui munera tanta Camœnæ,
  Hoc tribuiſſe, parum eſt, non tribuiſſe, ſcelus.

Ad Epiſcopum Wintoniensem.

Aldricio memores ſolvi dum poſcis honores,
  Aoniúmque jubes carmina ferre chorum.
Quid tibi, quid tantâ dignum pietate precemur?
  Ut vivas annos illius, atque tuos.

O Præſul, Muſas longum tuearis; amico
Quémque piè tribuis, ſit tibi ſerus honos.

Honores mutant mores.

Cum juvenis Macedo primis effulſit in armis
Nobile jactavit ſtemma, Philippe, tuum.
Imperium terris, animum cùm æquâſſet Olympo,
Progenies, ſpreto rege, Tonantis erat.
Hic ſiſtat victor, nec tranſeat æquora; nam ſi
Plus vincat, patrem nollet habere Jovem.

Honos alit artes.

Regius eſt ſervus poſitum cui nomen ab arte,
Muribus infeſtum ſoricibúſque caput.
Ille ego ſum, clamat, per quem caret aula rapinis,
Ille ego ſum certum furibus exitium.
Macte arte egregiâ; ſi res promiſſa ſequatur,
Penſio cui detur, dignus es, et tunica.

[illegible] es.

[illegible] bora.

[illegible] mis,
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] idem.

[illegible] vaccam

[illegible]

[illegible] nat.

[illegible]

Interea

Intereà nautas validis incumbere remis
  Tu, Palinure, jubes ; tum valuere preces.

Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.

Per Batavûm plateas (ita, gens operoſa, cavetis)
  Mendicus nemo, nemo vagatur iners.
Non cæcus, non claudus iners ; modo ſint tibi, claude,
  Qui proſint oculi, ſint tibi, cæce, manus.
Non operum immunis puer eſt, non grandior ævo ;
  Sed ſua ſtant puero, ſtant ſua penſa ſeni.
O prudens hominum reſpublica ! quam meliorem
  Utopiam dederis tu, More, túve Plato ?

Ignoſcas multa aliis, nihil tibi.

Alloquitur mœſtos Cato ſic moriturus amicos,
  Imperium mundi jam ſibi Cæſar habet.
Vos miſeræ veniam patriæ vel ab hoſte petatis,
  Submiſſis veniam civibus ille dabit.
Do vobis facile eſt ; ſi ignoſceret iſte Catoni,
  Ipſi ignoſcendus non foret ipſe Cato.

Illuc unde abii redeo.

Cæcus equus, patiens operis, verſatile ſaxum,
  Sole recens orto, ſole cadente, rotat.
Progreditur miſero ſua per veſtigia greſſu,
  Sed redit ad veterem progrediendo locum.
Ne tamen irridens operoſum ſperne caballum,
  Terrarum magnus nam facit orbis idem.

Impete perpetuo rapitur per inane Cometes,
  Velocem emenſus quà patet aura viam.
Nec tamen ingenti, quo volvitur, impete juſſo
  Deviat e curſu limitibúſque datis.
Quin iterùm terris fatale rubeſcet, et alter,
  Cum tria complêrit ſecula, terror erit.

Immenſum gloria calcar habet.

Aspice, dum duro petitur certamine palma,
  Inſtet ut acer eques, currat ut acer equus.
Ambo quidem ſudant, et par cauſa urget utroſque,
  Nempè equitem ſtimulat gloria, calcar equum.

Ineſt ſua gratia parvis.

CORPORIS humani varios circumſpice nexus,
Pars facit officium parvula quæque ſuum.
Crura licet ſolidum ſuſtentent fortia corpus,
Deme pedis digitum, fortia crura labant.

Inimicum eſt nimium laudare.

PASCENTEM in viridi corvum videt ilice vulpes,
Cur arguta, inquit, cur tibi lingua ſilet?
Non ſic populeâ cantat Philomela ſub umbrâ,
Et tibi Ledæus carmine cedit olor.
Eſca cadit patulo crocitare parantis ab ore:
Laudari voluit corvus, et eſuriit,

In nova fert animus.

QUID toties victo redit in præcordia virtus?
Quæ tibi quæſita eſt vel fugiendo ſalus?
Scilicet egregiam laudem et ſpolia ampla referre
A duce ſperâſti, rex Lodoice, novo.
Ductores fruſtrà mutas, Malburius idem eſt;
Expedit ut vincas, mutet ut Anna ducem.

In rebus lætis par eſt menſura malorum.

Stant Jovis ad ſolium diverſæ ſortibus urnæ,
  Altera plena bonis, altera plena malis.
Temperat ille bonis mala, quæ funduntur in orbem,
  Quæ bona ſunt multis implicat ille malis.
Sic intermixti rivum volvuntur in unum,
  Fons et origo boni, fons et origo mali.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Quæ noſtros fugiunt viſus, animalcula præbes,
  Lewenhocke, tuo conſpicienda vitro.
Inclytus hinc audis, hinc gloria, Belga, perennis
  Parta tibi, exiguum quod nihil eſſe ſinis.

Nasci lineolam ex puncto geometra fluenti
  Monſtrat, et expanſa eſt inde ſuperficies.
Materia hinc ſurgit rerum et denſiſſima moles,
  Inde Mathematicis nobile creſcit opus.
Ingenia exercet parvum celeberrima punctum,
  Sed punctum eſt noſtri fabrica tota globi.

Cuspide quæ Boream petit irrequieta trementi,
  Continet exiguam nautica pyxis acum,
Itur ſub quâcunque plagâ, quodcunque per æquor,
  Hæc regit, incertam nec ſinit ire ratem.
Gloria tantillo debetur quanta labori?
  Hinc, Brito, ſubjectis tu dominaris aquis.

Semesum et pluſquam ſemeſum e marmore nomen
  Eruit ut Criticus, quam ſibi plaudit ovans!
Quamlibet obſcuras ſupplet feliciter audax
  Conjecturâ, oculo deficiente, notas.
Dimidium plus toto illi, inveniſſe trophæum
  Major honos Critico, quam meruiſſe duci.

Aspicis, ut nidum tignis ſuffigit hirundo,
  Cæmento ut luteo penſile firmat opus.
Aſpicis, ut ſolido dureſcunt mœnia nexu,
  Quem neque ventorum vis, neque ſolvat aqua.
Structura incolumis, multos manſura per annos,
  Verè eadem reduces excipit hoſpes aves.
Præſtat in exiguâ, quod non Vanbrughius æquet,
  Quod non Gibbeſius vincat, hirundo domo.

Inter amicos ne ſis arbiter.

Dum civile movet bellum cum conjuge conjux,
  Creſcit et elatâ voce manúque furor.
Tu procul abſiſtas, tantas componere lites
  Ne ſpera arbitrium poſſe valere tuum.
Quid valet, hos inter ſi pacem et fœdera firmes,
  In te ſi ſtudio pugnet uterque pari ?

In utrumque paratus.

Felicem eventu belli te dicimus omni,
  Seu male ſuccedat, ſeu, Lodoice, bene.
Neutra tuam mentem mutat fortuna, ſed hymnus
  Si vincis, vel ſi vinceris hymnus erit.

Stat reus in plauſtro ; dubia eſt ſententia menti,
  Hic miſero uxorem porrigit, ille crucem.
Utrumvis fatale jugum diſcrimine nullo,
  Vel ſibi me ſumat furcifer, aut mulier.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Juno, [illegible]


[illegible] per or-

[illegible]

[illegible] cies.

[illegible] am,

[illegible]



[illegible] tur.

[illegible]

[illegible] eſt.

[illegible]

Oſtentat

Oſtentat merces aſtutior, et bene novit
Fictilibus pretium qui geminare ſuis.
Hæc laudat, probat hæc; et quæ pulcherrima dudum
Vaſa recuſavit, vilia pluris emit.

Magiſter artium venter.

Undique Grajugenûm puerorum ſtante catervâ,
Plurima miratur turba Milonis onus,
Nempe aliis quantò præſtabat corpore, tantò
Præſtabat reliquis acrior ille fame.
Impoſitum pondus tergum non ſentit, eundem
Scilicet expectat venter habere bovem.

Majæ Calendæ.

Floriferas nimium ne jactes, Maja, Calendas,
Poſtremos videas pulchrius ire dies.

Georgius

Georgius et Carolus læto te fine coronant,
Et ceſſat veris languidioris honos.
Serta tibi nectas gemino ſub principe; regni
Quas Hic reſtituit, protegit Ille roſas.

Malo eſſe parum fortis quam parum cautus.

Provocat Auguſtum fractis Antonius armis,
Ut ſecum tentet prælia Marte pari.
Ille nihil motus, nondum me vivere tædet,
Tu poſſis aliis millè perire modis.
Quærat certamen, cui nil niſi vita ſuperſit;
Subdita cui ceſſit Roma, cavere meum eſt.

Maxima debetur pueris reverentia.

Dum coram parvo ſapiens conſiſtit alumno
Mixtus equo Chiron mixtáque forma viri,
Ne fors admoveant acrem faſtigia riſum,
Ut cavet, ut caudæ maxima cura ſuæ eſt.

Bellua

Bellua ne metuas aliis, Centaure, videri,
Vir modo Pelidæ ſi videare tuo.

Mittitur in ſortem gentis ſpes tota Britannæ,
Et fatum ambiguum continet urna duplex.
Promittit ſibi mille annos cum mille talentis
Hinc anus, inde novum pulchra puella virum.
Quis tantas lites judex diſcriminet æquus?
Dirigit exiguus fata Britanna puer.

——— Mediocribus eſſe poetis
Non Dii, non homines, non conceſſere columnæ.

Bickerstaffe, ſapis, quondam lepidiſſimus exis,
Et ſcripſiſſe olim te bene nemo negat.
Peſſima nunc tandem ſpargis tua ſcripta per urbem;
Bickerſtaffe, ſapis, non mediocris eris.

Μὴ κινεῖν εὖ κείμενα.

Ilicis excelſæ ſecurum in vertice nidum,
Et multâ cornix arte cubile ſtruit.
Huc illuc ramos agitant cœlúmque notíque,
Invida vimineam nec movet aura domum:
Incolumis ſupra ſuſpenditur; ut neque nidum
Tutius in terrâ ponat alauda ſuum.

Μή με τάφῳ σύγκρινε.

Clausus ubi jaceat Paulinæ conditor ædis,
Nec ſignat marmor, nec tibi ſcripta locum.
At ne, ſi tacitâ jacet indiſtinctus in urnâ,
Poſſe tamen Wrennum ſic latuiſſe putes.
Suſpice magnificam tantùm, circumſpice, molem;
Non alio, dices, marmore Wrennus eget.

Metue ſecundis.

Diis patriam adverſis decimum defendit in annum,
Civibus et trepidis fert pius Hector opem.

Cùm

Cùm læti exultent falſâ inter gaudia Troes,
  Accipitur muris exitialis equus.
Non anni potuere decem formidine cautos
  Perdere, ſecuros perdidit una dies.

Militiæ piger, utilis urbi.

Romuleas acies ſternit dux Brennus, et arctâ
  Tarpêias arces obſidione premit.
Victori ceſſit Romæ, et Jovis armiger, ales,
  Nec proſunt aquilis fulmina geſta ſuis.
Qui rem Romanam, Divorum ſigna, Jovémque
  Qui Capitolinum protegat, anſer erat.

Μισῶ μνήμονα συμπότην.

Ad cœnam accedis non expectatus, et inquis,
  Nónne huc heſternâ nocte vocatus eram?
Siccine commemoras media inter pocula dicta,
  Ad cœnam ſi te mane vocabo veni.

Bacche, pater libertatis riſûſque jocíque,
Qui das pauperibus cornua, cor timidis,
De ſacris adytíſque tuis depelle loquaces,
Et qui te potat, poſſe tacere ſciat.
Pocula, Dive, tui vini, ſint pocula Lethes;
Qui potat memori pectore, potet aquam.

Mitte leves ſpes.

Pollicitus flavi ſibi montes Lullius auri,
Exploratores pervigil ante focos,
Spes hodie paſcit, ſpes cras quoque paſcit inanes;
Mox, inquit, certè mox ego Crœſus ero.
Sed leve ſperato votum dum fundit in auro,
Conſuluit loculos, et nihil æris erat.

Moleſta res eſt otium.

Sub ſole apricans lictori prenditur erro,
Stringit et incluſos dura cataſta pedes,

E Hic

Hic lentus ſedet; et tamen irrequietus, et horas
Computat; et queritur tardius ire diem.
Quàm vellet potiùs quemvis perferre laborem,
Et ſegnes jam ſe poſſe movere pedes!

Μȣσαι ἀλύμπια δώματ' ἔχȣσαι.

Innocuum latro qui fudit ſæpe cruorem,
Quíque Deos omnes oderat atque Deas;
Damnatus furcis, ſerâ pietate movetur,
Et miſer extremam carminis optat opem.
Muſâ placet: rhythmóque diem claudente ſupremum,
Ad ſuperas optat certius ire domos.

Multa cadunt inter calicem ſupremáque labra.

Vinc'lum connubiale Joannes atque Maria
(Scripta ita ſignificat charta) ſubire volunt.
Lecta vice eſt primâ, lecta eſt vice billa ſecundâ,
Quis dicit contrà? nemo — legenda ter eſt.

Supremæ

Supremæ venêre vices — Quis contradicit?
Intempeſtivum cum ſonat iſtud — Ego.
Ut certum nihil eſt! verbum ô crudele, taceri
Vel nunc debueras, vel ſonuiſſe prius.

Multi multa ſciunt, nemo omnia.

Occubuit tandem Newtonus gloria Grantæ,
Et patriæ et ſec'li gloria magna ſui.
Multa puer novit, lucem, varióſque colores,
Et ſolem, et lunam, ſidereáſque vias.
Hiſtoriam ſenior coluit, Chronicâſque Camœnas;
Conjecítque oculos tempus in omne ſuos.
Plurima quotidiè diſcebat, plura minatus:
Omnia ne poſſet diſcere, mors vetuit.

Mutamur in horas.

In ſcenis laceros nunc hiſtrio geſtat amictus,
Ornat magnificum mox diadema caput.
Cum rabie mox prodit inexorabilis heros;
Mox coram populo mitis amator adeſt.

[illegible] s.

[illegible] f

[illegible]

[illegible]


[illegible]

[illegible]

[illegible] rit.

[illegible]

[illegible]



[illegible] ictos

[illegible], et offert [illegible]

[illegible]

Ille

Ille ſuum corpus dimotas librat in alas,
  Audaci æthereas carpit et arte vias.
Sed quando optatis condatur finibus, indè
  Nec mare, nec tellus, nec patet aura fugæ.

Ne laterem lava.

Fama refert, quo tu cecidiſti, Carole ; reſtant
  Purpureis vel adhuc mœnia tincta notis.
Fruſtrà unda affertur, ſtat lamentabile ſignum ;
  Sanguis et infuſo clarius imbre nitet.
Non, Brito, ſic purganda nota hæc ; hunc ſola cruorem,
  Quæ cadit ex oculis, abluet unda, tuis.

Nemo ſolus ſatis ſapit.

Nos, inquit, ſeptem ſumus, oſtentátque tabella
  Tres lepidos aſinos, tres lepidóſque viros.
Ternio, dic, humane, mihi, quis ſeptimus ille eſt ?
  Sive magis ſapias, dic, aſinine, quis eſt ?
Rem tandem ſubolens, numerus bene convenit, inquam ;
  Tres tribus eſte pares, et ſine me ſapite.

Nemo vitæ ſatur, ut conviva, recedit.

Mors, ades, inquit anus, maturámque accipe prædam,
Ilia dum miſeræ tuſſis anhela quatit.
At phialas, vetulæ ingreditur conclavia ſiquis,
Omnia diſpoſitas per tabulata videt.
Nam quamvis mortem votis vel millibus optet,
Ne tamen eveniat, quod petit, illa cavet.

Ne ſit pro teſte vetuſtas.

Ducit anum Paulam, ingenióque et corpore pravam,
Marcus, et hanc peſtem mors cita tollet, ait.
Expuet aut felix pulmonem atque ilia tuſſis,
Aut Phthiſis inviſos claudet amica dies.
Paula tamen vitam corvi producit ad ævum,
Non tuſſi aut lentâ conficienda Phthiſi.
Fruſtrà hanc, Marce, mori, fruſtrà vis vinc'la ſecunda;
Tàm bene quæ novit vivere, vivet anus.

Nihil agis, dolor.

Figitur in menſam, nudatáque viſcera viva,
Prægnantémque alvum dilaniata, canis,

Excruciat

Excruciata tamen neſcit dediſcere matrem,
  Sed catulos lambit blanda ſilénſque, parens,
O vis naturæ nullo ſuperanda dolore!
  Dicite, Zenonis quid Stoa majus habet!

Nil metuo quid de me judicet hæres.

Quod non dependet tergo mihi ſquallida veſtis,
  Quódque meam tenuis non levat unda ſitim;
Ad cœnam quòd ſæpe voco non parcus amicos,
  Me rem, hæres, quereris dilapidare meam.
Et licet uſque queri: nam quod, te judice, multùm
  Vivo aliis, hoc eſt non tibi vivo ſatis.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Vicinum oſtendit fanum monimenta puellæ,
  Cui digitum exili cuſpide fixit acus.
Vulnere de tenui virgo cum ſanguine vitam
  Guttatim extillans palluit et riguit.
Deponat Pallas bellatrix Gorgonis arma,
  Lædunt pacificæ plus ſatis arma Deæ.

Nil proprium cuiquam.

Ne tibi, Priamide, fidam promitte Lacænam,
  Quæ ſit blanditiis tam citò capta tuis.
Sic prius Ægiden, ſic eſt amplexa maritum,
  Nunc jacet in viduo ſpretus uterque toro.
Sponſam tu, Menelae, et tu, Pari, dicis; at illa eſt
  Nec tua, Priamide, nec, Menelae, tua.

A Jove demiſſus te, Soſia, fallere tentat
  Mercurius, ſervo diſſimulante Deum.
Quid genus hoc, inquis, furti eſt? mea forma habitúſque
  Utrique eſt, et me vox utriuſque ſonat.
Aut ego non egomet ſum, aut aſtutiſſimus ille
  Furum eſt, qui potuit me rapuiſſe mihi.

Nil, Philomuſe, novi.

Potantes inter narrat Philomuſus amicos,
  Turca quid et Veneti, Teutonicíque parent.

Non

Non tulit hoc multùm ſitiens compotor honeſtus,
Indoluítque horas ſic periiſſe bonas.
Quid nobis Turcæ? quid, quod nihil attinet, affers?
Stat tecum — res eſt hæc tua, ſume vitrum.

Ad Ducem Novi caſtri.

O decus Aonidum, quas tu creſcentibus annis,
Quas et nunc Divas aſſeris eſſe tuas;
Sume Periſcelidem meritam, dum candida gaudet
Virgula munificam nobilitare manum.
Omnia promittunt Tibi ſpes et vota tuorum,
Sed Tua nobilitas nil feret inde novi.

Non aliena meo preſſi pede.

Plurimus hinc illinc Thebani imitator oloris
Magnificum varii carminis edit opus.
Incerti ludunt numeri ſine lege, nec ullus
Servatur rhythmis ordo, vel ordo metris.
Longior hic æquo verſus producitur, ille
Claudicat abruptus dimidióque minor.

Fruſtrà

Fruſtrà hæc! dum Graiæ reſtat ſua gratia Muſæ,
Alter Pindaricus, Pindarus alter erit.

Non eadem eſt ætas, non mens.

Accipe, Diva Venus, ſpeculum, quod do tibi Lais
Theſſala: cùm periit forma, quid umbra juvet?
O quam diſſimilis mihi ſum, quam Laidi Lais!
Heu! mihi quantillâ parte ſuperſtes ego!
Forma animúſve tuis maneat cultoribus idem,
O Dea! amat ſpeculum nympha, ſed odit anus.

Non ego ventoſæ venor ſuffragia plebis.

Ne populum venere, ipſum venere ſenatum,
Hos, qui vulgus emunt, Cinna, minoris emes.

Per plateas vectus populi ſuffragia captat
Veſtibus et nitido conſpiciendus equo.
Turba inimica ruens petit hunc ſaxíſque lutóque,
Candidus exierat, ſed redit ater homo.

Ambit adulatur ſuffragia Julius orat
  Comiter, et cives captat utrâque manu.
Sic altè elatus ſurgit popularibus auris,
  Fítque caput Romæ, quæ caput orbis erat.
Ut capitur plebs imprudens hâc arte! minorem
  Qui bene ſe populo ſcit ſimulare, regit.

Ad Joannem Freind M. D.

Freinde, o dilectum noſtrâ inter mœnia nomen,
  Te monita a Phœbo gens numeroſa legit.
Ingredere, o! felix; et, quod ſensère tot ægri,
  Nunc patria auxilium ſentiat ægra tuum.

Ad Dominum Harley.

Exposcunt alii dubiæ ſuffragia plebis,
  Solicitæ et peragunt ambitionis opus.
At tu cum doctis Muſis agis otia, noſtræ
  O columen patriæ grande, decúſque ſcholæ.

Te

Te tamen intereà populus petit; ambit honorem
Cætera turbà equitum, Te novus ambit honor.

Non eſt beneficium, quod, cui facias, non placeat.

Hospes convivam male ſedulus urget, et hauſtus
Porrigit immodicos officioſâ manus.
Tàlia amicitiæ conviva recuſat et odit
Pignora, et hoſpitii gratia tota perit.
Quæ ſic invito benefacta obtrudis amico,
Sunt magis hæc odiis diſplicitura tuis.

Non eſt dulcis ſine pulvere palma.

Leander bibulâ veſtes deponit arenâ,
Nec timet æquoreum carpere nudus iter.
Fruſtrà obſtat Boreas aut nox, (quid enim obſtet amanti?)
Audax per tumidas brachia jactat aquas.
Quam facile acquirat, nympham faſtidit amator;
Per mare quæ petitur, digna puella peti eſt.

Non eſt furor omnibus idem.

Bethlemii ad portas ſe tollit dupla columna,
'Εικόνα τῶν ἐντὸς χῷ λίθος ἐκτὸς ἔχει.
Hic calvum ad dextram triſti caput ore reclinat,
Vix illum ad lævam ferrea vinc'la tenent.
Diſſimilis furor eſt Statuis; ſed utrumque laborem,
Et genium artificis, laudat uterque furor.

Non incidere ludum pudet?

Quid, Nero, continuis ludis teris otia vitæ,
Percurrens agili police fila lyræ?
Siccine Cæſareum cingit diadema capillos,
Dum tibi tibicen, dum citharifta comes?
Non regi opprobrium eſt, citharam ſi pollice tangat;
Ingens opprobrium eſt, ſi citharœdus erit.

Non licet in bello bis peccare.

Quod male ſucceſſit dux in certamine Gallus,
Ductorem Lodoix mittit ad arma novum.

Quàm

Quàm breve ductorum fatum hoc eſt, queis neque palmam
 Perdere bis licuit, nec retuliſſe ſemel!

——————— Non me
Palma negata macrum dimittit. ———

Undique cantores vocat ad certamina, jactans
 Quam ſit Apollineâ clarus in arte Nero.
Protinus unanimi reboant ſubſellia plauſu,
 Et ſolus victor præmia Cæſar habet.
Quin vos, o victi, verum cantate triumphum,
 Queis ſalvum dederit palma negata caput.

Non ſapit, qui ſibi non ſapit.

Excolit inventas patriam quicunque per artes,
 Ingenii fructus ut ferat ille ſui,
Mox regis diploma petit, quo ſcilicet uni
 Authori fas eſt utier arte ſuâ.
Hæc adeò laus eſt prudentis ſumma; fuiſſe
 Ingenioſum aliis, et ſapuiſſe ſibi.

——— Non, ſi quid turbida Roma
Elevat, accedas. ———

Linigeros inter pueros, multáſque lucernas,
Fert ubi triticeum pyxide myſta Deum ;
Quiſque ſtatim panem ſupplex et pronus adorat,
Et ſeſe immundæ fœmina ſternit humi.
At tu Romanis quicunque inimicus es aris,
I procul a ſacris, i, fuge, curre, late.
Relligioſorum monitus procul eſto tumultu,
Turbida ne pietas te quoque ſternat humi.

Non ſunt hi grati qui nocuere ſales.

Grammatica oſtendit neutra eſt vel maſcula vox ſal ;
Non alia in toto codice mica ſalis.

Noſce teipſum.

Quid jactas, Niobe, pulchram temeraria prolem,
Et Dea Thebaidum ficta per agmen ovas ?

Aurigâſne audes natos præponere Phœbo,
Qui regit ignivomos verbere pronus equos?
Túne parens audes natas conferre Dianæ,
Quâ ſine natarum non potes eſſe parens?
Sat tibi blanda priùs favit fortuna; Deíſque
Æqua fores, ſi non æquiparâta Deis.

Nugis pudet addere pondus.

Exiguam elimat mirâ faber arte catenam,
Exili pulicis fiat ut aptâ pedi;
Multúmque impendit curæ, multúmque laboris,
Ut lentum tenui ſtamine texat opus.
O fabrile caput! ne fruſtrà hæc vincula nectas,
Ut prendas pulicem, proximus eſto labor.

Orbatus menſæ conſorte torique catello,
Delicias poſito marmore deflet herus.
Mœrori indulget, quali nec funera natæ,
Funera nec ſponſæ proſequeretur amor.
Dele aliquis molles nugas: quicunque fuerunt
Mores, ingenium, forma, catellus erat.

Nulla dies ſine lineâ.

Sole novo Flaccus chartas et ſcrinia poſcit,
Præterit abſque ſuo carmine nulla dies.
Indè Palatino dignos dat Apolline verſus,
Et par Thebano eſt voce Sabinus olor.
Quæque dies illum ſcribentem carmina vidit,
Scriptáque ſpectabit carmina quæque dies.

Nulli gravis eſt percuſſus Achilles.

Busbeii aſpiciens vivos de marmore vultus
Attonitus ſubito ſtat, revocátque pedem.
Scilicet hic meminit, puero ſe, temporis acti,
Et quæ deſidiæ præmia ſæpe tulit.
Quantumvis torvâ tibi fronte minetur imago,
Nil cernit, tutus progrediare, lapis.

Numero Deus impare gaudet.

Tu felix jactas ſapientes Græcia ſeptem,
Hos amat, his ſeptem doctus Apollo favet.

[illegible] Apollo ;
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible] os
[illegible] s.
[illegible] a receſſit :
[illegible]
[illegible] mpar
[illegible]

ſulphura

Oblitus

Oblitus Cenſor ſtoici præcepta rigoris
 In riſum effundit ſe ſalibúſque vacat,
Eſt, ubi triſtitiâ ſapiat normíſque ſeveris;
 Eſt, et ubi abnormis ſit, ſapiàtque Cato.

Oculus Dómini ſaginat equum.

Si ſic pingueſcat, domino ſpectante, caballus,
 Hâc fas eſt pingues credere lege boves,
O felix Io! cui cuſtos contigit Argos,
 Quàm ſub centeno lumine pinguis eris?

Oἱ κόλακες κόρακες.

Cæsaris in plenam dum tendit garrulus aulam,
 Καῖσαρ adulator χαῖρε frequenter ait.
Hinc dociles corvi diſcunt τῷ Καίσαρι χαίρειν,
 Sylváque Cæſareum nil niſi nomen habet.
Hinc diſce ut fictum, nullo diſcrimine, Cæſar,
 Et tibi dat corvus, datque ſenator Ave.

Omne ſolum forti patria eſt.

Mænius infamis convivia lauta frequentat,
Jejuno ſemper quadra aliena patet.
Quàm ſimilis forti! quàm felix Mænius ille!
Scurra vagus nuſquam eſt, eſt et ubique domi.

Quatuor occiduo veniunt de ſole Tyranni,
Ut viſant Annæ regna beata piæ.
Quis non, Annam acri viſendi tactus amore,
Tentaret dubias per freta longa vias.
Poſt Annam viſam, poſt tot felicia regna,
Fortiter hoc facere eſt, poſſe redire domum.

Ædes Laureti noctis fugitiva per umbram,
Fertur Idumæum deſeruiſſe ſolum.
Quæ non eſſe velit tellus huic hoſpita templo,
Quod ferè totius continet orbis opes.
Erranti rurſus ſedes huic eſſet ubivis,
Papa ſed ulterius non ſinit eſſe vagum.

Venit Hyperboreis nugax mercator ab oris,
Cui tergum incurvum mantica vincta premit.

Strenuus

Strenuus in dextrâ baculum gerit erro bicornem,
Quo ſe, quo merces protegat ille ſuas.
Scotia quem genuit, quem Flandria ſæpe recepit,
Qui novit fines et bene, Belga, tuos;
Huic quidam in noſtris plateis exclamat, adeſdum,
Scote: ait indignans ille, Britannus ego.

Aspice, quàm placidè vivit Sertorius exul,
Gaudentem Hiſpanum ſub ſua jura vocans.
Conſtituítque gravem patrio de more ſenatum,
Oſtentátque parem, Roma diſerta, tuo.
Submiſſos populos, Sertori, et principe lætos
Cum videat, patriam quis neget eſſe tuam?
Aut ſi quis neget eſſe, ob ſolum hoc eſſe negabit,
Quòd tantùm foveat patria nulla ſuos.

———Omnia pulchris
Divitiis parent.———

Threiciis quoties reſidens in montibus Orpheus
Divinum digitis ſolicitavit ebur;

De

De ſylvis tigridas traxit, de montibus ornos,
Et doctam temerè ſaxa ſecuta lyram.
Ne quis miretur, cur omnia traxerat Orpheus,
Aurea dicuntur fila fuiſſe lyræ.

Omnis homo eſt Hiſtrio.

Viderat informis cùm quidam Socratis ora,
Hic vitioſus homo eſt, aut ego fallor; ait.
Leniter arridens, bone vir, non falleris, inquit;
Larva alios homines, me quoque larva tegit.
Et motus animi ſi non ratione repellam,
Xantippe fuerit non furibunda magis.

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Impia cùm Niobe Divos commovit ad iras,
Latonæ proli præpoſuítque ſuam:
Non Phœbus matrem trajecit vindice dextrâ;
Ut pereat mater, chara propago perit.
Si matrem fixit, cecidiſſet ſimplice morte,
At bis ſeptenâ nunc cadit illa nece.

[illegible] es.

[illegible] s.

[illegible] que periti
[illegible] ident,
[illegible] et;
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible] is,
[illegible]
[illegible] abetur,
[illegible]

Ad Comitem OXONII.

SÆPIUS Angliacis ceſſit victoria turmis,
Vicimus: at pacem nulla trophæa ferunt.
Nil enſes haſtæque et ferrea tela valebant:
Sufficit Harlææ parvula virga manûs.

MURMURA, clangores, catapultas, tympana, bombos,
Jam Muſæ horrificos dedidicère ſonos.
Otia nunc pacémque et mollia verba reſumunt,
Nunc, HARLEY, ſpernunt arma, Virúmque canunt.

Parce ſepultis.

PELIDE, indulgens nimiùm muliebriter iræ,
Quid trahis ad rapidas corpus inane rotas?
Sat patriæ ſocióque datum eſt, quòd ſternitur Hector;
Vindictæ indignor plus licuiſſe tuæ.
Omnis honos priſcæque perit tibi gratia famæ;
Hectora jam primùm te timuiſſe probas.

Parcite perſonis, dicite de vitiis.

Sic prudens matrona inquit, non lædo propinquas;
Sed vicina mihi non procul hinc gravida eſt.

Dum ſine perſonis hominum depingere mores
Cogimur, et pravos inſimulare mali.
Omnes ſecuri ſtant hâc ſub lege; timétque
Nemo ſuo decori, neve poeta ſibi.
Indictum nomen ſperat quoque Zoilus ipſe,
Quod vitioſus homo eſt; ille ſed eſt vitium.

Ursam conductus quondam eſt depingere pictor,
Purpuream tabulis exprimit ille roſam.
Devius at ſpectatores ne falleret error,
Hæc ſcripſit, quam vos cernitis, urſa mea eſt.
Cum taceas, populus bene te pinxiſſe putabit,
Cum nomen jungas, pingis, inepte, malé.

Illusit quondam Durfæus Cambro-Britannis,
Et cecinit Shinken te Theodore ſatum.
Aſpera conſuetas cito gens exardet in iras,
Atque miſer vates fuſte dolatus abit.

Qui

Qui ſcribit ſapiens, aliorum nomina celat;
  Quíque ſuum nomen celat, et ille ſapit.

Dum Marcus circum præcordia ludit amici,
  Et mordet *tacitis* te, Deciane, jocis;
Tu lepidè, lautè, ridens, Deciane, reclamas,
  Et credis Cinnam Pantolabúmve peti.
Dulce genus ſatyræ eſt! ubi tollit uterque cachinnos,
  Quíque notat crimen, quíque notatus abit.

Pars eſt meminiſſe doloris.

Exprimere Icarios tentâſti, Dædale, caſus,
  Orbatíque manus bis cecidêre patris.
Egregiam ſuperat natura potentior artem;
  Mente ægrâ, fruſtrà eſt ingenioſa manus.
Quo magis intendis tua ad infortunia mentem,
  Laus operi creſcit, creſcit et indè dolor.

Parva rogâſſe ſat eſt.

Hostibus et denſâ circundatus undique nube,
  Dicitur hæc Ajax pauca rogâſſe Jovem.

Non

Non oro certam Deus ut mihi dirigat haſtam,
  Aut Deus ut trepidos dirigat alter equos.
Da lucem ut videam, ſolum hoc te, Jupiter oro;
  Ultrà quod ſupereſt, hoc mihi dextra dabit.

Pauper eſt pudor.

Auratus globus ante fores aurátaque lampas
  Oſtendunt medici nocte dièque domum.
Nil tamen hæc faciunt, rarus venit æger ad ædes;
  Iſque, æger rarus qui venit, æger inops.
Splende ipſe aurato veſtitu, et divite curru
  Invehere; hoc geminâ lampade pluris erit.

Pax bello potior.

Cecropiæ dum Divi arcis de nomine certant,
  Neptuni eductus cuſpide ſurgit equus.
At Pallas tenui tellurem dividit haſtâ,
  Explicat et placidas mitis oliva comas.
Ægida terrificam quamvis, Dea bellica, jactes;
  Planta, dedit palmam quæ tibi, pacis erat.

Perdere verba leve eſt.

Erudit agreſtem præcentor agreſtis alumnum;
Sol, Fa, Mi, ſtentoreo cantat uterque tono.
Harmoniæ quid habent hæc, inquam, fragmina vocum,
Quid ſibi ſyllabicus vult ſine mente ſonus?
Harmoniæ vel ſiquid habent tua Sol, Fa, Mi, Fa, Sol,
Quid cedò habent ſensûs, quid pietatis habent?
Sic ego; ſic ille: ex verbis non Muſica conſtat;
Non fari doceo, ſed doceo canere.

Plerique id faciunt injuſſi, quod recuſant rogati.

Immodicos hauſtus odit potare rogata
Cœlia; vix tangunt prima labella ſcyphum.
At neſcis quoties Cholicen ſimulare laborat,
Ut medicam cyathi Cœlia ſumat opem.
Urget ſi quis eam, bibit inſtar Cœlia Nymphæ;
Sed ſuperat Bitiam, cum ſine teſte bibit.

Plerumque gratæ divitibus vices.

Jupiter inconſtans terras præponit Olympo;
Dum deflet viduum Juno relicta torum.
Quid petit in terris, quod non præclarius aſtris?
Quæ videt in nymphis anteferenda Deæ?
Cuncta dabat cœlum, at domus eſt mea, Jupiter inquit:
Pulchra ſatis fateor Juno, ſed uxor erat.

Dites Cecropidæ mutatâ veſte per urbem,
Turba Mohockorum ſeditioſa ruit.
Nunc juvenum nares inhoneſto vulnere truncant;
Nunc cadit indigno vulnere pauper anus.
Divitibus placuêre vices fortaſſe; ſed iſtæ
Pauperibus certè diſplicuere vices.

Plures in pace triumphi.

Ad Reverendum in Chriſto Patrem Thomam Sprat Epiſcopum Roffenſem.

Qui mores hominum multorum noverat, urbes —
Viderat, at poterat tutior eſſe domi,

Eſſe

Eſſe bonam invenit pacem Sorberius Author,
  Hiſtorico eredas jam, Lodoice, tuo.

Plus ultrà.

Cur, Anchiſiade, Libycis teris otia terris?
  Quid ſtruis? Auſoniam reſpice lætus humum!
Ne te creſcentes tangant Carthaginis arces,
  Mœnia in Italiâ tu meliora ſtrues.
Urbem promittit tibi Dido? ut certius illam
  Poſſideas, Romam condere perge tuam.

Poſt nubila Phœbus.

Tristis Tyreſia, nimiò ne cede dolori,
  Lumina quòd claudat nox tenebroſa tua.
Poſt tantas tenebras et cladem lucis ademptæ
  Fies auguriis alter Apollo tuis.

Præcedenti ſpectatur mantica tergo.

En clitellati quo pergant ordine, onuſti
  Pondere quiſque ſuo quàm patienter, equi.

 Signat

Signat iter ſociis, qui tintinnabula geſtat;
Quiſque ſequens alacri ſuccutitúrque pede.
Pondera qui ſequitur ſpectans præeuntis, iniquè
It minus, impoſitum nec ſibi ſentit onus.

Præſens conſilium neceſſitas dabit.

Cum peteret Crœſum peregrini militis enſis,
Inque ſacrum regis pectus iturus erat;
Tum primum linguæ nato non defuit uſus,
Parce patri, dixit, perfide, parce patri.
At ſors urgeret nimiùm niſi dura, fuiſſet
Nec data vox nato, nec data vita patri.

Progenies Phaethon non inficienda parenti.

In parvo Andromache figens ſua lumina nato
Solatur vidui triſtia fata tori.
O ſpes matris, ait, miſeræ ſpes unica Trojæ!
Vivit, vivit adhuc Hector in ore tuo.
Talis erat, ſic ille manus ſic ora ferebat,
Et ſi conſpicias omnia, talis erat.

Quem

… es.

… ere.

… r area circo,
… do fluit.

… nitentes,

… dent.

… voluptas,

… am,

Cras

Cras, Stella, exemplum pulchris lachrymabile! eandem
Arentem, laceram, pallidulâmque vide.
Stella, roſæ miſerere, et, cum miſerere, memento
Quòd brevis eſt ævi, quòd tua forma roſa eſt.

Quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!

Pingere equi ſpumam ter fruſtrà expertus, Apelle,
Ipſe operis damnas irrita cœpta tui.
Iratâ abjicitur ſubitò dum ſpongia dextrâ,
Ars tua quod nequiit, ſors inopina dedit.
Quamvis cæca Dea eſt, ut pro te pingat, Apelle,
Credibile eſt oculos hanc habuiſſe tuos.

Quicquid ſub terrâ eſt in apricum proferet ætas.

Nescio quis mirè fertur magneticus orbis
Volvi ſub terris interiore rotâ.
Virtutem tamen hanc tot jam per ſæc'la latentem
Callidus in parvâ pyxide nauta gerit.

Vis ea, quam centro immerſit natura, ſub auras
Eruta per totum dirigit ire globum.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Nummatis ſpecimen vates commendat amicis,
Totum inquit librum tertia luna dabit.
Ære dato ceſſat, nec tu querere emptor; et illi,
Et tibi, ſi ſapias, pagina prima ſat eſt.

Aspicite in Quarto ſenis Ennii imagini' formam,
Quur, ut nunc, volitet mancu', per ora virûm?
Hìc Tite, tute Tati, legis illìc Induperator,
Deflendus multùm cætera hiatus habet.

Mendax fama olim venturos dixit Iernos,
En! ſibi, neſcio quid, terra Britanna timet.
Corripit hic fuſtem, furcam ille, anus illa batillum,
Et quæcunque amens præſtitit arma metus.
At finem tanti ſi vis perquirere motûs;
Horrida deponunt arma; et eunt cubitum.

—— Quid non mortalia pectóra cogis
Auri ſacra fames? ——————

Hic aras ſpoliat, divûmque hic numina, et audet
Radere inaurati crura manûſque Jovis.
Alter non dubitat totum conflare Tonantem,
Quamvis in dextrâ miſſile fulmen habet.
Mittat, ait, fulmen, dum dat mihi Jupiter aurum;
Auratum poterit quis timuiſſe Jovem?

Qui mutat Dominum non mutat ſortem.

Imperio dudum violenti oppreſſa Philippi,
Supplex Romanam Græcia quærit opem.
Roma inſultantis frangit juga dura tyranni,
Et premit imperio ſubdita regna novo.
Sors eadem eſt miſeris, mutato nomine, terris,
Et quæ ſerva fuit Græcia, ſerva manet.

Quis nunc diligitur niſi conſcius?

Quot ſcelerum ſpecies miſerâ dominantur in urbe,
Dum regnum infamis Domitianus habet!

Immenſa

Immenſas libertus opes et turpis adulter
Poſſidet, et ſpretum júſque piúmque jacet.
Moribus his illâ favor eſt quærendus in aulâ,
Quíque crucem meruit Cæſarianus erit.

Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color.

Si Muſa in lætis luſit tua, Naſo, theatris,
Ludat et in Scythicis jam magis illa plagis.
Antè quidem nocuit, ſed quid nunc muſa nocebit?
Te quoque in hâc aliquid quod juvet eſſe poteſt.
Nunc fleat illa tuos, quos fecerat antè, dolores,
Illa erat exilii cauſa, ſit illa comes.

Quo læſus quiſque eſt horret adire locum.

Dunstani venit Dæmon novus hoſpes ad ædes,
Virginis, ut melius falleret, ora gerens.
Deſpexit ſanctus bifidum, nec plura moratus
Candenti naſum forcipe corripuit.
Captivus Dæmon tauri reboavit ad inſtar,
Profiliens porrò ſubſiliénſque retrò.

Nil, Dunſtane, times, rediture tutus ab hoſte,
   Tam memorem in naſo dum gerit ille notam.

Quot homines, tot ſententiæ.

PHILOSOPHI quidam Gothomæà gente profecti,
   Conſilium, capto piſce, inière catum.
Conveniunt tardi proceres abdomine ventris,
   Mirantur monſtri lubrica terga novi.
Hic jugulemus, ait, contrà ſapientior alter,
   Certius ut pereat, reſtituatur aquis.

Quoties voluit fortuna jocari?

IN caveâ clauſum, dux Tamerlane, tyrannum
   Spectac'lum populo ludibriúmque facis.
Ne tamen exultes; neque enim virtute carebat:
   Tu ſolo ſortis munere victor eras.
Sors ſi huic faviſſet, caveâ captivus in iſtâ
   Penderes populo tu jocus ipſe tuo.

Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

IRUS ego, (hæc muſam memini ceciniſſe jocoſam)
Pauper et a cunis claudus — et Irus ero.
Ad latus ampullam geſto, geminámque crumenam,
Cum ſale quæ panem ſervet — et Irus ero.
Inſidiis procul atque metu, immuníſque pericli,
In cella vivo tutus, — et Irus ero.
Irus ego, ampullâ, peris, cellâque beatus;
Et (regnet, per me, qui volet) Irus ero.

Repeto quod nuper omiſi.

Ardet turba Chloen pulchram durâmque puellam,
Difficilem queritur plurima Muſa Chloen.
Mox oculo abſcedit languenti flamma genarum,
Et color omnis abeſt, et procus omnis abit.

Mutato

[illegible] es.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] rtus.

[illegible] virorum,

[illegible]

Quis

Quis te deſpiciet parvum, formica, parentem?
Principium magnis exitiúmque dabas.

Sæpe utile falli.

Aspice, quàm fruitur demens errôre beato,
Regaléſque animo turgidus æquat opes!
Quàm ſeſe ore ferens cellâ ſpatiatur in arctâ!
Et regit in cerebro regna creata ſuo.
Quas ingens Cæſar ſtudio quærebat inani,
Ille voluptates ambitionis habet.

—— Sævior armis
Luxuries. ——

Roma, triumphatum ſibi quæ ſubjecerat orbem,
Luxurioſa ſuis viribus ipſa cadit.
Quos bellum dederat, pax aufert ſola triumphos,
Et reddunt pigros otia longa duces.
O ſuperi! vultis perituræ parcere Romæ?
Sæviat in Latiis Hannibal alter agris.

Sapiens nunquam minùs ſolus quam cùm ſolus.

Cùm Româ egreſſus, Cicero, tua rura reviſis,
 Et comites ſolos ducis ab urbe libros;
Multa movens animo, quæ ſit natura Deorum,
 Quâque coli debent relligione vides.
Plures villa tibi ſocios quàm Roma miniſtrat,
 Nam tot, quot cœlum numina, ſolus habes.

Sat cito, ſi ſat bene.

Naso, tibi faciles venêre in carmina vires,
 Et, quod tentâſti ſcribere, verſus erat.
Victurum Maro fingit opus, fictúmque refingit,
 Pérque gradus lentè nobile ſurgit epos.
Mœnia non querimur multis Trojana diebus
 Creſcere, quæ cernis nulla perire dies.

Scire nihil vita eſt jucundiſſima.
Ad Dominum Carteret.

Docte Baro, vocat ad partes Te ſæpe ſenatus,
 Poſcit ſæpe tuam publica charta manum.

Te

Te gnarum imperii turbata requirit Ierne,
  Tu nôras ſolus conciliare Getas.
Quid ſit ſcire vides, ſi mens foret inſcia, poſſis
  Tu quoque ſecurus luxuriare domi.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Jupiter ut primùm cœlum terráſque creavit,
  Nil, inquit, proſunt hæc mihi, nemo videt.
Mox prudens hominem, qui facta ſtupenda videret,
  Fecit; et hoc ſummum ſurgere juſſit opus.
Hic primùm merito decorat tua numina cultu,
  Tu facis hunc hominem, te facit ille Deum.

Secundus minor quam fœminarum.

Anna triumphantes educit in arma Britannos,
  Diſſimiles Gallis, o Lodoice, tuis;
Qui fortes primò pugnant, paſsíque repulſam,
  Fœmineæ trepidi dant ſua terga fugæ.
At noſtras acies dum fœmina dirigit Anna,
  Ipſi ſunt iidem ſemper, ut Anna, viri.

Invictus bello, felix Lodoice, triumphas,
Imperium ſoli dum tenuère viri.
Maſcula nil virtus prodeſt, atque ipſius arma
Wilhelmi in turmas nil valuêre tuas.
Nunc, duce mutato, mutantur tempora; jam Tu
Virgine debilior, plus habet Anna viri.

Semper ad eventum feſtina.

Omnes eventus belli tentare paratus,
Uſque adverſa alacer, Cæſar, in arma ruis.
Nec mora, nec requies; inopinos acer in hoſtes,
Exiguo magnas milite ſternis opes.
Bellicus hinc tibi ſurgit honos, victoria, Cæſar,
Non tam pugnantis, quàm properantis erat.

Semper eris pauper, ſi pauper es.

Cur pauper medicam tractas inglorius artem,
Cur ita per vicos iſque rediſque pedes?
Hippocratem licet exuperes doctúmque Galenum,
Te nemo accerſet, præmia nemo dabit.

Sin

Sin curru aurato nitidíſque vehare quadrigis,
Tum patriæ fies alter Apollo tuæ.

———— Sepulchri
Mitte ſupervacuos honores. ————

Johnsoni tumulus nec ſculptilis ære, nec auro,
Si ſaxum inſpicias nil niſi nomen habet.
Inſcriptos tumulos alii longo ordine jactent:
Hoc ſatis eſt de te dicere, Rarus Homo es.

———— Simplex hilaríſque nepoti
Diſcrepat. ————

Cotta nepos mirè ſeſe putat eſſe facetum,
Cùm lautè comedit liberiúſve bibit.
Aut amat, aut totâ diſcurrit nocte per urbem,
Aut agili quaſſat crebra fritilla manu.
Non ſentis, niſi cum cenſum decoxeris omnem,
Quàm ſit ridiculus, Cotta, facetus homo.

Sint ficta ſimillima veris.

Osse interpoſito dum pictor dentibus albis
Frendentes lepidâ pinxerat arte canes;
Aſpexit vivus, caudàmque arrectus et aures
Irruit, et patulo corripit ore cibum.
Quid melius Zeuxis? ſimiles ſibi poſcit honores,
Quíque canem fallit, quíque fefellit aves.

——Si vis me flere, dolendum eſt Primùm ipſi tibi. ————

Orbem dum peragras, Io, ſub imagine vaccæ,
Mœrorémque tuo pectore muta tegis.
Víſne Jovem ſentire tuos, infauſta, dolores?
Solicites fletu vel prece mœſta Jovem.
Si non flere potes, mugitum funde: juvencæ
Mugitum agnoſcet, qui modo taurus erat.

Sordidus eſt, luſco qui poſſit dicere, luſce.

Transiret primùm cùm fervidus Hannibal Alpes,
Ridebat luſcum plebs tua, Roma, ducem.

Ille

Ille furens Italis mox victor fulminat agris,
   Patriciόque madet ſanguine pinguis humus.
Moverat extinctum lumen quoſcunque cachinnos,
   Roma, tibi res eſt ſeria dextra ducis.

Stultè miraris et optas.

Dum, Macedo, ſtolidè geſta admiraris Achillis,
   Quanta tibi propriæ gloria laudis abit?
Ridiculus captos furis hinc imitator in hoſtes,
   Hinc cedunt ſtomacho jura fidéſque tuo.
Quin æquare optas? noli admirarier, et tu
   Æacidæ laudes exuperare potes.

Succeſſu caruêre doli.

Vomere Dulichius ſterilem proſcindit arenam,
   Sperans ſe Graios poſſe latere duces.
Filius objicitur morti, fraudémque retexit
   Non aſtu patrius diſſimulandus amor.
Fruſtrà Ithacus ſtruit inſidias, Palamede reperto:
   Nemo vafer tutus, ſi vafer alter, erit.

——— Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis. ———

Dum Cæſar laudes, Gallos quòd vicerat armis,
  Arrogat, et patriæ vult pater eſſe ſuæ:
Roma ducem damnans multùm indignatur, et inquit,
  Solus, qui voluit talia, Cæſar erat.
Ne damnet, ſolus voluit quòd talia Cæſar,
  Solus, qui meruit talia, Cæſar erat.

Sumptus de pyxide pulvis.

Quam faber effinxit cuſtodem pulveris Indi,
  In mediâ ſpeculum pyxide, Cotta, locas.
Te ſolum ſpectas, ſolum te quæris in illâ,
  Jam puto quid levius pulvere, Cotta, vides.

Dum paſtor Scoticus recreat ſufflamine nares,
  Phyllidáque impaſtus nocte dièque canit;
Non ſitit, hoc victu fretus non eſurit unquam,
  Si mola ſit, cunctas das, Gilicranky, dapes.

Sunt ipſa pericula tanti.

Ad Honoratiſſimum Virum ROBERTUM HARLEY Armigerum Regiæ Majeſtati a Conciliis, &c.

DUM curis, Harlæe, animum civilibus urges,
  Inſumis totos dum ſuper urbe dies;
Sat notum, quam chara Tibi tua patria, ſed, Tu
  Quàm charus patriæ perfida ſica docet.

CUM tenuit dubios Harlæi vita Britannos,
  Alternáſque habuit ſpéſque metúſque vices;
Non hic, dùm viſum eſt vulnus lethale, tremebat;
  Quod non lethale eſt Tu, Lodoice, tremis.

FERS, Harley, Gallus quæ vulnera deſtinat Annæ,
  Pro quâ bis poteras ſuſtinuiſſe mori.
Ipſè mori poteras: quantò at felicius hoc eſt,
  Vivere pro Dominâ bis potuiſſe Tuâ.

Dum petit Harlæum repetito perfidus ictu,
Et medio latum vulnere pectus hiat;
Cur nullo intereà cor eſt violabile telo?
Intus in hoc adyto quæ ſedet, Anna vetat.

Dum clypeum Æneæ Turnus mucrone fatigat,
Futilis in partes lancea diſſiliit.
Te quoque quod petiit ferrum diffringitur, at non
Firma, Harlæe, Tibi Mulciber arma dedit.
Intemerata fides melius defendit inermem,
Hæc tibi Loricæ triplicis inſtar erat.

Quod profugus ſacram Gallus meditatur in Annam,
Detegit Harlæi provida cura ſcelus.
Cùm tamen arma in ſe verti furioſa videret,
Exciperétque ſuo perfida tela ſinu;
Quod facis, hoc vulnus mihi non dolet, inquit; at illa,
Quæ non feciſti, vulnera, Galle, juvant.

Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli,
Tradidit hæc pueris Lilius arma ſuis.
Luſimus innocui dudum his ſine ſanguine telis,
Nec, Guiſcarde, tuum ſenſimus inde ſcelus.

Scalpellum

Scalpellum nunc Muſà aufert, ne forſitan arma
Suggerat Harlæo bis nocitura ſuo.

Harlæum ſubito Gallus cùm perfidus ictu
Percuteret, totâ luctus in urbe fuit.
Stat tamen hic firmæ ſubnixus robore mentis,
Hunc ſpectare putes vulnera, nulla pati.
Hinc adeò nullum ſentis, Harlæe, dolorem,
Quòd putet hoc vulnus quilibet eſſe ſuum.

Celta ferox gentis meditatus fata Britannæ,
Sufficit, Harlæus ſi cadat unus; ait.
Acer agit telum, medióque in vulnere fractus
Infandum domini mucro recuſat opus.
Quod genus hoc monſtri produxit Gallia? ferrum
Cùm potuit domino mitius eſſe ſuo.

Nequicquam ſævis Villarius intonat armis,
Miles habet vinci neſcia corda Brito.
Guiſcardus tacitè cædem meditatur in aulâ;
Irritus Harlæi in pectore mucro ſedet.
Deſine bellorum, Lodoice, foríſque domíque,
Arma pati noſtræ nam didicere togæ.

Devotum ſenſit cùm condi in pectore ferrum
  Immoto Harlæus ſaucius ore ſtetit:
Dum lætâ huic reduci gratatur voce ſenatus,
  Confuſo ſubitus ſurgit in ore rubor.
O pudor, O virtus! partes quàm dignus utraſque
  Suſtinuit, vultu diſpare, laude pari!

Sunt qui ſervari nolunt.

Musca meam volitat circum importuna lucernam,
  Aláſque amburit jam prope jámque ſuas.
Sæpe repello manu venientem, et, ineptula muſca,
  Quæ te, inquam, impellit tanta libido mori?
Illa tamen redit, et, quamvis ſervare laboro,
  Inſtat, et in flammas exitiúmque ruit.
Exiguam tibi nolo animam, quam projicis, ultrà
  Servare; et, ſi ſis certa perire, peri.

Surgant mœnia, nec ruant mores.

Thebanas arces ne jactet Græcia mendax,
  Tectáque Threiciæ ſtructa canore lyræ;

Stant

Stant contra, Hanneſi, Tua munera; condere muros
  Si potuêre fides, hoc potuêre Tuæ.

Antiqua concluſâ domo turpíque receſſu
  Penè eſt cum tectis Muſâ caduca ſuis.
Sed nova cum nobis ſurgent collegia, fiet
  Digna domus Muſis, Muſâque digna domo.


Suetos fama refert (fors vos meminiſtis) alumnos
  E camerâ vetitis proſiluiſſe viis:
Mœnia vos tam firma, ut nemo erumpere poſſit,
  Tam pulchra, ut nemo vellet abire, datis.

Ad Epiſcopum Roffensem.

Sæpe, colende Pater, volui poſuiſſe cubile
  Sub trabe, quà ſteterat lectulus ante Tuus.
Tu tamen, hìc ventos toties perpeſſus et imbres,
  Filiolos nolis ſic habitare Tuos.
Sin Tua poſſe ſequi in ſtudiis veſtigia detur,
  Laudabo veterem ſub meliore trabem.

…es.

…e Britanni,



[illegible] emoriâ
[illegible]

[illegible] pia chartis,
[illegible]?
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] libros
[illegible]

[illegible]

[illegible] vis,
[illegible] avit.

Intereà

Intereà vernos vacat ipſâ inducere ſoles,
Queſtibus et nomen congeminare ſuum.
Alterius labor eſto tuos educere fœtus ;
Unica tu felix abſque labore parens.

Educit ſimplex anates gallina tenellos,
Et per vicinos concomitatur agros.
Spuria progenies fautricem linquit, et imis,
Auſpice naturâ, præcipitatur aquis.
Illa tenens ripam trepidantes concutit alas,
Et ſtolidas querulâ voce fatigat aves.
Si tantas curas proles aliena miniſtrat,
O quàm ſolicito eſt pectore vera parens!

——— Tecti caret obſoletis
Sordibus aulâ. ———

Has arces memini fœdas, et aranea paſſim
Plurima per culmen textile duxit opus.
Non tulit hoc Pallas ; rurſúſque, ait, æmula, certas?
Exi aulâ : has arces ſola Minerva colit.

Te majori pauperiorum turbæ compares.

Dum pede, pauper, iter defeſſo carpis; ovantem
Hâc equitem incedens molle vehebat equus.
Quàm placidè hic, inquis, vehitur per iniqua viarum!
Hei mihi! quòd pedibus tendere cogor iter.
Ecce! præit claudus manibus veſtigia firmans,
Hunc ſpecta, et gaude quod potes ire pedes.

----Teneros animos aliena opprobria ſæpe Abſterrent vitiis.——

Spartani nunquam longi ſermonis amantes
Exemplar pueris propoſuère ſuis.
Mancipia implebant nimiis dapibúſque meróque,
Eſca ſed hæc ſtomacho luxurioſa nocet.
Ignorant quid agunt, titubant, vinóque ſepulti
Non bene concoctas evomuere dapes.
A vitio metuunt pueri: exemplíſque miniſtri
Mores, quos ipſi non didicère, docent.

Thameſis vinctus.

INCUMBIT glacies, ſtrictis mare clauditur undis:
Sed jure an clauſum ſit dubitatur adhuc.

VIDIMUS ardentes latè per Thameſin ignes,
Torruit et vaſtos multa culina boves.
Quoquò tendis iter, fluvium hunc fuge, Jupiter: hæc tu
Si vehis Europam per vada, toſtus eris.

TE prenſum in medio, latro verſutiſſime, furto
Ad ſolitas pœnas plebs bene juſta trahit.
Antlia ſed nulla eſt, aqua nulla; haud te tua mergi
Fata ſinunt, ſed de reſte cavere monent.

BIS trinis obolis ſoliti conducere cymbam
Cauſidici, calcant turba pedeſtris aquas.
Dum cauſas agitant reſoluta reſolvitur unda,
Proh dolor! et gratis non licet ire domum.
Cauſidicis concede dehinc, bone Jupiter, idem
Terminus ut fiat frigoris atque fori.

Qui Batavas cymbâ ſuevit tranſire paludes,
  Ire per adſtrictas jam pedes audet aquas.
Ferratis ſoleis medio ſecat æquora curſu,
  Ipſe vicem ſupplens remigis, ipſe ratis.
Scilicet huic brumæ favet inclementia: frigus,
  Quod tardavit aquas, acceleravit iter.

Θεῖον γένος ἐςὶ βρότοισιν.

Ne, juvenis Pellæe, petas ut corniger Ammon,
  Aut vano antiſtes te vocet ore Deum.
Conſule non tripodas ſed te mentémque capacem,
  Quâ tellus minor eſt, quâ minor unda maris.
Non eſt illa tuæ claudenda in limite terræ,
  Sed poſcit mundos ambitioſa novos.
O cœli ſoboles! nam ſi te terra tuliſſet,
  Terra tibi poterat, quæ tulit, eſſe ſatis.

Timeo Danaos et dona ferentes.

Ignarum vulgus dux conſcripturus in arma,
  Largus munificâ porrigit æra manu.

Ah miſer! hæc quicunque capis, mox ſæva ſequetur
Pauperies, durus militiæque labor.
Munera tum fruſtrà Danaûm fraudéſque Pelaſgas
Oderis, et ſapies, ut ſapuère Phryges.

——— Trahit fulgenti gloria curru Non minus ignotos generoſis. ——

Dum medio volitat circumactus pulvere currus,
De temone videt muſca ſuperba rotam:
Pulveris en! quantum moveo, qualem excito nubem!
Muſcarum eſto pater ſol mihi teſtis, ait.
Sic quoque pulvereus Capitoli fertur ad arcem,
Nec majore poteſt Cæſar honore frui.

Triſtes odêre jocoſi.

Scurra procax, nomen quærens famámque dicacis,
Illepidos lepidos miſcet ubique jocos.
At meritò vultus auſteros damnat et odit;
Vos non ridentes, vos, procul ite, graves.
Ipſe ſilet triſtis, ſi te videt antè ſeverum,
Nam, niſi tu rides, huic periêre joci.

Tros Rutulúſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Dum Roſa purpureo ſuffunditur ora rubore,
Spina ferox teneri floris amore calet.
Protinus armorum ponit pacatior iras,
Et jam blanda ſuæ porrigit ora roſæ.
Ut videt has junctis ambas concurrere votis,
Quæ regit hortorum maxima Flora vices,
Felices jubet hinc coeant in fœdera, utriſque
Unus et ex uno ſtemmate ſurgat honos.
Tu decus æternum, dixit, mea, da, Roſa, Spinæ;
Et tu perpetuam protege, Spina, Roſam.

Tuo habitu vitam dege.

Lydia anus, depicta genas et ficta capillos,
Virgineos cœtus ambitioſa colit.
Hìc verò fruſtrà languentia lumina torquet,
Fruſtrá hìc fœmineos nectit, ut antè, dolos.
Inter anus forſan poterit vel nympha videri,
Sed nymphas inter tota videtur anus.

…es.

… ego paucis

… ritica, fruſtrà

… viciſſim.

… tis,

… d aſſem,

Datque

Dâtque ultrò veniam poſitâ ſapientior irâ,
Cùm quanti veniam ſit tribuiſſe ſciat.

Venter non habet aures.

CERNIS, ut eſuriens inhiat jam prandia judex,
Ipſis ora gerens pallidiora reis ?
Nunc ſtat, nunc ſedet incertus, nunc ſpectat ad horas,
Et vacuo longas increpat ore moras.
Quò magis obtundis, Rhetor, magis ardet abire,
Quóque magis clamas, eſurit ille magis.
Deſine poſſe virum flecti ſperare precando,
Quem dudum expectant Rhombus apérque domi.

Verſa eſt fortuna locorum.

HAUD procul hinc, inter veteris ſpatia ampla palatî,
Aula vetus cauſis cauſidicíſque patet.
Hæc tenuit feſtiva Anglorum prandia regum,
Hæc plena hoſpitibus præbuit aula dapes.
At nunc eſuriens hoſpes ſpatiatur, ubi olim
Latè fumabant pinguia terga boum.

Atria mutantur, nos et mutamur in illis,
Eſuriunt omnes nunc niſi cauſidici.

Veterem morbum novus amovet.

Obsessas Spartana acies dum cingit Athenas,
Triſtis Palladià regnat in urbe lues.
Hoſtilis fugit infectas exercitus auras,
Et facta eſt peſtis civibus una ſalus.

----- Virtus patriæ ſibi prima putabit Commoda. ——————

Infensi exagitant te, Scipio magne, Quirites
Publica damnatum diminuiſſe bona.
Nil oſtendit opum domus explorata, ſupellex
Aurum ſpernenti fictilis omnis erat.
Egregium plena abſolvent æraria civem,
Cujus pauperiè patria dives erat.

Una ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem.

Aspicis, ut cervus quærit fugiendo ſalutem,
Quem ſequitur celerum turba canora canum,


Indignans,

… ericli,

… altus,

… ertitur.

… alæ,
… agit.
… tque
… m.
… ufter,



LUSUS

WESTMONASTERIENSES.

SES.

præter

illabitur

lida Nais

carbonis

bibliopola

Effugiens

Effugiens ſcombros et mille peric'la culinæ,
  Securus ſedes hìc Paracelſus habet.
Hìc multo dormit compoſtus Ogilvius auro,
  Et quot ſcribendo par meruère decus.
Granta domos ſileat capiendis artibus aptas,
  Bodleium jactet nec Rhedycina ſuum.
Major amicus adeſt miſeris ſcriptoribus, omnes,
  Quos Vos e gremio pellitis, ille fovet.

Difficilia quæ pulchra.

Gallica nectareum mirantur vina liquorem,
  Dona dedit Bromius non meliora Deus.
Quàm bene perſpicuo fulgeſcit ſpumea vitro
  Purpura! ſubtilis qualis in ore ſapor!
Ut tamen ad noſtras veniant hæc gaudia menſas,
  Quanta foris ſubeant, quanta peric'la domi!
Inſequitur dulces prædo ſuper æquora merces,
  Littore ſtat quæſtor, quæſtor et ipſe latro.
Nempe Senatorum pars cauta et ſobria curam
  Hanc, ne pars nimium cætera potet, habet.

Difficilis

Difficilis gratúſque liquor potantibus, eſſes
Vel minùs o gratus, difficiliſve minùs!

Optimum eſt convivium in quod venit Choraules.

Rex bonus, ut fertur, ſtruxit convivia Colus,
Annua quæ Dominæ voverat ille ſuæ.
Plurima per pingues cumulantur fercula menſas,
Et veteri ſpumant pocula plena mero.
Ad ſacrum reginæ latus Winefrida recumbit,
Et, quâ nupta fuit, turget amicta ſtolà.
Stat juxtà crater, ſed nec dant gaudia menſæ,
Nec ſuus huic crater, nec Winefrida placet.
Impiger exclamat, cur ceſſat muſica Coli?
Tympana ubi tria ſunt, eſt ubi terna fides?
Cur non tergemino reſonant mihi cornua cantu?
Cur triplicem cohibent Cambrica fila ſonum?
Heus, dapifer, quid cœna juvat, ceſſante Choraule;
Vel mihi redde fides, vel tibi ſume dapes.

Poſſunt quia poſſe videntur.

Dum faber erudiit natum malè lippus Athenis,
Vulcani famam laudat et artis opus.
Filius huic contra; ſuadæ perculſus amore,
E—T—E—O, non potuit dicere Rhetor ero.
Ter fabri natus balbo rotat ore lapillum,
In primo toties deſtitit ore ſonus.
Perrumpit tandem divulſa ligamina vocis,
Et torrente novo lingua ſoluta tonat.
Hic nunc Palladii moderatur fræna theatri,
Et fraudes aperit, caute Philippe, tuas.
Patria quando vocat, fruſtrà, Natura, repugnas,
Auſus Rhetor ero dicere, Rhetor erat.

Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color.

Alternis edit populo qui ſcripta diebus,
Et cujus chartas plebs numeroſa terit,
Cum quondam molli texebat vellere ſoccos,
Texuit artifici tum quoque verba manu.

Mox

Mox ubi famoſi ſcandit faſtigia ligni,
Et ſtrictò incluſum porrigit orbe caput;
Tum quoque conſuetâ muſas exercuit arte,
Quíque trabem ornaret laudibus hymnus erat.
Scribit enim, quemcunque trahit ſibi vita colorem,
In cellâ, in triviis, ſub cruce Muſa canit.

Ne, cùm venari volet ille, poemata pangas.

Intempestivo vatum indulgere labori
Quid prodeſt, catulis cùm ſonat omne nemus?
I, venare feras, ſaltus indagine cinge,
Ludicra nec ſtudiis hæc aliena putes.
Per ſaxa et rupes Muſis et amica volanti
Rura tibi melius pingere rura datur.
Halantes Zephyri, reſonans aqua, ſibilus auræ,
Sic poterunt ſcriptis dulce ſonare tuis.
Materiam invenies largam venando; Dianam
Dum colis, ad verſus non minus aptus eris.
Nam tibi ſi faveat Latonia virgo, favebit
Æquior aſſumptæ frater Apollo lyræ.

Nunquam poetor niſi cum podager,

Qui lectum potas mediâ de nocte Falernum,
Cui tumet et lautis alvus opima cibis,
Ebrius aſſiduè, pedibus vel ſobrius uti
Everſis toties, luxurioſe, nequis.
Conſpicuúſque toro demiſſâ voce recumbis,
Subjicitur tumido pluma premenda pede.
Sic curis vacuus calamos et ſcrinia peſcis,
Aſper Apollineâ fallitur arte dolor.
Et, Flacco ſimilis, tu mira poemata pangis,
Corda ſimul multo percaluère mero.
Luxuries vatem fecit, namque ipſe podagram
Qui dederas, idem carmina, Bacche, doces.

Cupias ut ſit tibi fama ſuperſtes.

Libras bis quinas, quæ vendit poma nucéſque,
Parca anus ingentes accumulârat opes.
Diis grates! riſit vultu fortuna benigno,
Sed quid opes, inquit, ſi mihi fama deeſt.

Quid

Quid faciam? tentanda via eſt, quâ me quoque poſſum
Tollere humo, perque os viva volare virûm.
Famam habet Eugenius, ſed quadrans nullus in arcâ eſt,
Eugenius noſtro munere dives erit.
Dum victo Eugenii celebrantur nomina Gallo,
Me quoque Patronam famâ loquetur anum.

Opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

COMPOSITO vultu conſcendens pulpita, latum
Cui collare, brevis penula, curta coma;
Hem quater ingeminat tentans præludia vocis,
Tandem ægro profert vix tria verba ſono.
Mox, recolens vires, ſermonem extendit in horas,
Grex dolet eſuriens tardius ire diem.
Hic gemit, alter hiat, poſt et ſuſpiria pauca,
Pectore quæ tumido dat, pia dormit anus.
Increpat hanc paſtor, potes hoc in limine ſomnos
Ducere? ſurge, inquam, ſeria res agitur.
Experrecta ſono, ne ſævi, vir bone, clamat,
Si tua nos inter ſomnia ſomnus habet.

Nullis utile bellum.

CONVOCAT ut ductor turmas, agménque recenſet,
  Ex quo mittatur trans mare lecta manus,
En miles ſolito nervoſior, oſſeus, ingens,
  Eligitur Gallis qui metuendus eat,
Protinus uxor adeſt, cœlúmque ululatibus implens,
  Dum collo pendens oſcula figit, ait;
Horrida te quoque bella vocant, chariſſime conjux,
  Siccine ſola jugum connubiale traham?
Siccine deſerto langueſcam frigida lecto,
  Et, viduata tori conjuge, nupta tamen?
Mox victor, ſed mancus, eris; victoria damno
  Parta erit, haud tanti Flandria capta foret.
Túne foris florem abſumes viréſque juventæ?
  In bellum cœlebs deſidioſus eat.
Tu poteris melius cui vinc'la jugalia curæ,
  Et patriæ et nobis utilis eſſe domi.

Sint Marones non deerunt Mæcenates.

LONDINI magnam nocturnus obambulat urbem
  Vates, qui baculum fert comitémque canem.

Signum

Signum venturæ dant tintinnabula Muſæ,
  Et feſtum rauco prodit ab ore melos.
Vos Dominæ, ſalvete, meæ, ſalvete, Magiſtri,
  Felices multos et numerate dies.
Fauſtum mane precor vobis, fauſta omnia, gratâ
  Qui mihi præbetis munera larga manu.
Quis tulerit vates de Mæcenate querentes?
  Ingenium damnent inſcia turba ſuum.
Tot Mæcenates mihi ſunt quot ad oſtia pulſo,
  Non deerunt vati, qui bene cantat, opes.

Ficta voluptatis cauſâ ne ſint proxima veris.

INCOLA Formoſæ, quem verſu dicere non eſt,
  Venit ad Angliacos hoſpes alendus agros.
Utque hic hoſpitium poſſet meruiſſe videri
  De patriæ ſcripſit moribus ille ſuæ,
Depinxit geniúmque loci cultúſque virorum,
  Humanâ et faciles non ſine cæde deos.
Multa quidem mentitus erat, bene multa; ſed Anglis
  Diſplicuit veri proximitate liber.

Splendidiora

Splendidiora ſolet mendacia ferre viator,
Qui longum Indorum per mare carpit iter.
Quod Mandevillus noſtras, quod Pintus Iberus,
Da mihi; vera odit, mira Britannus amat.

Nolo puerum præcocis ingenii.

Regressum Grantâ, Burgerdiſci arte potentem,
Natum amplectuntur lætus uterque parens.
Cœnantem gemino pullo excepère; puérque
Heus! mater, pulli tres ait in patinâ.
Haud ita, reddit anus, Tres, inquam, ſunt. Numerato,
Si potes. Et Tyro ſic opus aggreditur.
Hic eſt unus, ait, bene, perge: duóque. Quid inde?
Quid? conjunctim tres ſunt duo et unus, ait.
Subridens genetrix verum eſt, (prò Jupiter!) inquit,
Heus cape tu, conjux, hunc; meus alter erit.
Tertius, o fili, dabitur tibi munus acuti
Ingenii, totum corripe, ſcinde, vora.

Odi hilaris triſtem.

PONIT opus Corydon, notam pro more tabernam
 Cum ſociis lætis lætus et ipſe petit.
Nunc hilarem hiſtoriam narrant, nunc pocula ſumunt,
 Inque ſuas ſubeunt vina jocique vices,
Opprimit incautum (pro formidabile!) conjux,
 Verbaque cum lachrymis miſcet amara ſuis.
Perfide, ſic fallis? ſic fallis, perfide, tempus?
 Nec tibi cura uxor, nec tibi cura domus?
Deſine, cui Corydon, hilares turbare querelis,
 Pocula vel fumas, vel lachrymare domi.

Tuta et parvula laudo.

DUM ſeptem Heroum præſtantia facta legebam;
 Illuſtri pulchrè doctus in Hiſtoriâ:
Multus ibi fidens animo et fulgentibus armis
 Exit eques: nymphis ferre paratus opem.
Attollunt contrà vaſti ſe mole gigantes,
 Quales Herculeæ non domuère manus.

Illi

Illi inter ſeſe magnâ vi prælia miſcent,
Vulneráque alternâ dant capiúntque vice.
Interea Nanus procul, immuníſque pericli,
Intrepidus ſpectat quis ſit utrique labor.
Dii bene fecerunt, quòd me finxêre puſillum,
Exiguo fidens corpore Nanus ait.
Profuerit Nano brevitas ſuâ, ſoſpes utrinque,
Sive gigas palmam, ſive reportet eques.

Literulas me non ſtulti docuêre parentes.

Judicis horrendi miſeri ſtant ante tribunal,
Et ſibi quiſque timet, quam meruêre crucem.
Hic ſolvit capitis damnatus crimine pœnas,
Alter in ignotos mittitur exul agros.
Unus ſed reliquis qui paulò doctior, affert
Huc librum, mihi ſit parta legendo ſalus.
Indocti pœnis damnantur, et in cruce pendent,
Literulas callet qui bene, ſalvus abit.
Credibile eſt priſcos olim hoc vidiſſe magiſtros,
Ante Alphabetum qui poſuêre crucem.

———Meruêre decus veſtigia Græca
Auſi deſerere.———

In ſcenam Heroas ducis feliciter audax,
Shakeſpeare, o tragici gloria prima chori.
Non tu ſolicitus Sophocles quid, et Æſchylus altum
Evomat, aut Graiûm cætera turba ſonet.
Fabula tota tua eſt, proprio de fonte perennes
Hauſiſti latices, non Heliconis egens.
Sat doctus, benè qui didiciſti temnere Graios,
Et Britonum ingenio percitus atque Tuo.
Felix Tu, qui nullius veſtigia calcas,
Et felix, poterit qui tua ritè ſequi.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere.

Dum quærit Corydon quâ venditur Ala tabernâ,
Nobilis egregios quæ facit Ala viros:
Suſpenſum in triviis ſignum videt, hæc ubi verba,
Solve hodie; gratis cras bibe quiſquis ades.
Ingreditur, lætos circumtrahit amphora gyros,
Æra fluunt ipſo liberiora mero.

Cras

Cras redit, et notos expoſcit largius hauſtus,
  Gutture non ſicco certus abire domum.
At bene jam potus verbo hoc nihil amplius addit,
  Ohe! jam ſatis eſt, hoſpes amice, vale.
Solve prius nummos. Nummos? heus! conſpice ſignum,
  Solvi ego, quod ſolvi debuit æris, heri.
Signum hodiè dicit ſolves, et cras bibe gratis:
  Cras iſtud, Corydon, non tibi venit adhuc.
Tum ſubolens Corydon, perdat me Jupiter, ex hoc
  Si quæram, quid Cras ſpondet, amice, tuum.

———————Licet ſub paupere tecto
Reges et regum vitâ præcurrere amicos.

ZIGARA gens, Nilum picto mentita parentem
  Vultu, unóque aſino tota vehenda domus,
Per pagos omnes errat, per rura, per urbes,
  Vendítque ignaro non ſua fata gregi.
Candida ſuppeditant ſpoliatæ lintea ſepes,
  Et dant non emptas prædia quæque dapes.

In

In fœno placidam nunc gens erratica noctem,
Nunc agit aprico ſub Jove læta diem.
Non hîc, non illic habitat gens incola mundi,
Omne ſolum patria eſt, et domus omnis ager.

Nihil eſt prodire tenus ſi non datur ultrà.

Accensis Chymicus ſudat fornacibus Hermes,
Immenſáſque ſibi ſpondet anhelus opes.
Pugnantes miſcet calices, liquet igne metallum,
Æs fluitat rivis, vulnificúſque chalybs.
Expectat vigil ille optatus ubi exitus arti
Detur, et aurato depluet igne calix.
Jámque ſpei plenus, lapſá et fluere omnia retrò
Cernit, et in ventos aureus imber abit.
Prò ſortem! exclamat, fueram quàm penè beatus!
Corruit extremo non niſi fine labor.
Vis fieri felix, vis omni ex parte beari?
Plus, Hermes, Chymicæ, vel minus artis habe.

Ne monſtrer digito prætereuntium.

LIBERA cum ſupplex Coventria, jura rogaret,
Hâc facilis princeps conditione dedit.
Ut medio Godiva die, pulcherrima virgo,
Per vicos lento nuda vehatur equo.
Hæc, invita licèt, legi ſuccumbit iniquæ,
Sed tamen hos monitus civibus antè dedit.
Claudite quiſque fores, pateat non ulla feneſtra,
Nec digito quiſquam nos oculóve notet.
Candenti invehitur candentior ipſa caballo,
Pérque humeros paſſæ defluit unda comæ.
Fors ibi piſtor erat, quem de tot millibus unum
Spectandi infelix extimulabat amor.
Obice firmatas temerarius ille feneſtras
Pandit, et infauſtum protulit inde caput.
Sentit virgo dolos, et ſic pudibunda profata eſt,
Quæ maneant tantum præmia digna nefas!
Qui me conſpex'ti, ſtabis tu fabula vulgi,
Æternúmque in eo conſpiciere loco.

Cœlum mutat animum.

Bellorum experiens, natúſque [illegible] is,
  Addit Alexander Perſica regn[illegible]s.
Infelix Darie, tuâ ſe jactat in [illegible]a, [illegible]
  Atque inter medias luxuriatur opes.
Suſpicit auratum laquear, ſtupet alta columnis
  Atria, et intexti molle tapetis opus.
Nunc minus in pugnas ardet, minus arma requirit;
  Nec queritur terras non ſupereſſe novas.
Quin dextræ armillas, aptátque monilia collo,
  Demiſſa ad talos ítque redítque ſtola.
Immemor antiqui cultûs libamina Phœbo
  Fert nova, nec patrem mallet habere Jovem.
Edocuit duros ſuà quos Macedonia mores
  Dediſcit, ſaltat potus, et unctus olet.
Victorem, Darie, tuum tua Perſia vicit;
  Et, quod non poterant agmina, terra poteſt.

Tumulo ſuperaddite carmen.

Issa canis, domino multùm dilecta potenti,
  Heu! immaturo funere merſa jacet.

Cui dominus buſtum puro de marmore ponit,
Et caro cineri carmen inane dicat.
Quiſquis es his errans terris, hìc ſiſte, viator,
Deliciæ domini nobilis, Iſſa jacet.
Illa manum patiens, noſtróque aſſueta cubili,
Sæpe os dilecti blandula lambit heri.
Auris utrinque illi verrebat pendula terram,
Nare brevi, et maculis undique ſparſa pedes.
Ad te cùm veniet, laceres utcunque magiſtrum,
Hunc blande comitem, Cerbere ſume canem.

Maledicta ſpreta exoleſcunt.

Qua propè turba frequens denſâ ſpatiatur in umbrâ;
Pſittacus in caveâ garrula pendet avis.
Hanc repetit vocem dum præterit unus et alter,
Heus! nebulo, nebulo, pro nebulone crucem.
Procedunt multi ridentes vana canentem,
Unus, cui mens eſt conſcia, ſiſtit iter.
Non ego ſum nebulo, me non impune laceſſes,
Inquit, et improbulæ multa minatur avi.
Parce minis, non hæc ſolum te opprobria tangunt;
Præterière alii, qui meruère crucem.

Nil nocuère illis ſpretæ convicia linguæ,
At, tibi quod dicit Pſittacus, omen habet.

Πασῶν μανιῶν μία μορφή.

Per vicos Londini errat novus advena Mopſus,
Viſurus miri quicquid in urbe fuit.
Hocklæum imprimis, Mori dehinc tendit in agros,
Claudit ubi inſanum cellula multa gregem.
Monſtrorum nec adhuc ſat habens, in proxima pergit
Cambia, ſolicitis cambia fœta viris.
Plurimus hinc illinc venales inſtitor urget
Merces, et rauco Stentoris ore boat :
Millia quis centum, millenáque millia poſcit ?
Auſtralem quis rem venditat, et quis emit ?
Nec mora, nec requies ; perterritus agmine tanto,
Et tanto attonitus murmure Mopſus ait.
An redeunt iterum ſpectacula ? regnat et idem
Hic furor ? en ! iterum Bethlemiana domus.

———————Omnia fatis
In melius niti.———————

Per villas tranſit venturi præſcia ſaga,
Niliacíque ſimul nigra propago ſoli.
Linquit arator agros, infectáque penſa puellæ,
Fatidicâmque petit villicus omnis anum.
Conſulit illa poli faciem, volucrúmque volatus,
Hinc dextras, lævas inſpicit inde manus.
Pauperibus promittit opes, ægríſque ſalutem,
Orbis progeniem, virginibúſque viros.
Nullus at in villâ Gallus Gallináve reſtat,
Dum fieri fauſtâ cuncta canuntur ave.

Me mendax infamia terret.

Post bello fractas altæ Carthaginis arces,
Junctáque Romanis Africa regna plagis;
Feſtos Scipio agit, populo plaudente, triumphos,
A domitæ gentis nomine nomen habens.

Non

Non tamen incerti fugit hic convicia vulgi,
Nec quas inſidias ligna maligna ſtruit.
Ponit Roma ſuam rumores ante ſalutem,
Et, per quem ſteterat, cogit abire ducem.
Hannibalis victor, patriæ vindéxque decúſque
Quærit in obſcuro vilia tecta ſolo.
Quid prodeſt ſpectata fides, animoſáque virtus?
Si, quicquid poſſint crimina, fama poteſt.

——————Cede potentis amici
Imperiis. ——————

Anglorum alternis dum rex dum papa ſupremus,
Ingenioſum habuit Braya vicariolum.
Quando piæ nondum tolerabant *ſumpſimus* aures,
Indocto hic priſcum *mumpſimus* ore canit.
Mumpſimus exploſo et miſſali rite novato,
Tum Brayana novum *ſumpſimus* ara ſonat.
Roma redit, ſecum ritus, veteréſque cucullos,
Relliquias, nugas, barbariémque refert.

Paucula verba parum eſt, veterémve relinquere ritum,
Sed ſcelus eſt veterem deſeruiſſe gregem.
Quivis, ille refert, tibi, Roma, vicarius eſto,
Idem erit uſque tibi, Braya, vicariolus.

Nil ſiccis durum.

VISURI, Mahumeda, Arabes Meccam atque Medinam,
Ortus et tumuli mœnia ſacra tui.
Arentes campos deſertáque littora tranant,
Quà nec fons, quà nec ſufficit imber aquas.
Heu! quantus labor eſt tantis hominúmque ferarúmque,
Agminibus tantam pondera ferre viam!
Tali aſinus patiens, tali pigra mula labori
Succumbet, nec erit par generoſus equus.
Hoc iter, hæc poterit ſolus juga ferre camelus,
Cui fons nequicquam, cui negat imber aquas.
Surgat arena licèt, licèt urat Sirius agros,
Non ille inceptum lentior urget opus.
O animal ſiccum, et ſubeunda ad pondera natum,
Quàm durum arenti littore carpis iter?

Non

Non ferres gemino tantas in gibbere moles,
Ni poteras longam ferre, camele, ſitim.

Luxuria plus nocet reipublicæ quàm avaritia.

Finibus exiguis floret reſpublica frugi
Belgarum, imperio par, Lodoice, tuo.
Hanc quoties rapidis miles tuus intonat armis,
Defenſo toties victor ab hoſte redit.
Incolumem reddit ſua nempe abſtemia virtus,
Et facit aſſiduus dulcia bella labor.
Piſciculos, et olus, vappam, fumúmque tabaci
Sufficit exiles provida cura dapes.
His ſibi prudentes vires animóſque miniſtrat
Artibus, inque ſuâ tuta palude latet.
His freta auxiliis Gallorum reprimit arma,
Nec ranis patitur luxuriare ſuis.
Nequicquam turmas, Lodoice, in prælia mittis,
Ut Belgas poſſis vincere, mitte coquos.

Deſcendat licèt a ſummo non vergit ad imum.

Aspice quàm variâ ſaltat funambulus arte
  Expertus celeres ferre referre pedes.
Extento inſiliens funi nunc arduus altè
  Surgit, et audaci tendit ad aſtra gradu.
Nunc humilis facili deſcendit ab æthere lapſu,
  Subjectam jam jam tangere viſus humum.
Hunc Corydon defixus hianti ſuſpicit ore,
  Dum cadat expectans, et ſibi damna timens.
Cui ſocius ridens, Corydon, abſiſte moveri,
  Nulla adſunt homini, nulla peric'la tibi.
Ille repercuſſus vibrato a fune reſurgit,
  Et magis aſcendit, quò magis ima petit.

Abundans cautela nocet.

Marcus ad aſſuetos calices, menſâmque ſtativam
  (Cheynæi ut certus præcipit ordo) redit;

Potores

Potores undæ, quos præſens protulit ætas,
Magnum Arthritifugum Febrifugúmque legit.
Sobrius et ſiccus primâ cum luce repoſcit
Epſomii ampullas Briſtoliíve duas.
Dave, unde eſt ventus? Reſpondet Davus ab Euro.
Iſte mihi eſt Eurus, Dave, memento mori.
Succedunt Zephyri lenes et mitior aura,
Approperat lentum ſcandere Marcus equum.
Nec præſtabit equus, tibi nec medicina ſalutem,
Tollere vis morbum? tolle Cavere tuum.

Minus ſibi tribuit qui ſe nemini comparat.

Hobsoni in ſtabulo duo conſenuère caballi,
(Hobſoni doctis non malè nota domus.)
Hi, jamdudum annis et iniquâ tuſſe ſubacti,
Oſſibus hærentem vix habuère cutem.
Sed, quas neuter habet, vires accendit uterque,
Suppeditans ſocio vímque animúmque ſuo.
Hic ſimul hinnitum tollit, micát auribus ille,
Miratúrque ſuos ocyus ire pedes.

Fraternis

Fraternis animis quicquid facit alter et alter,
Et movet æquævos æmulus ardor equos.
Alteruter ſolus greſſu vix ſerpit anhelo,
Sin addas comitem, Pegaſus alter erit.

Me raris juvat auribus placere.

Pro roſtris orator heri cum ſtaret Hebræús,
Et patulo duros volveret ore ſonos.
Attonita obſtupuit plebs majeſtate ſonorum,
Mirata imberbem ſic potuiſſe loqui.
Stat genitor, nutúque probat, ſtimulátque loquentem;
Gaudiáque explicitâ fronte fatetur avus.
Vos ſoli, Patres, digito calletis et aure
Davidicæ numeros harmoniámque lyræ.
At parvi facimus vulgi ſuffragia, linguæ
Qui pariter Francæ plauderet atque ſacræ.

Amoto quæramus ſeria ludo.

Sanet ut omne malum ſeu ſit ſanabile ſeu non,
Prodigus in medium prodit Agyrta forum.

Hiſtrio

Hiſtrio mille jocis plebem prætentat hiantem,
Cogere tam ſolers quàm retinere gregem.
Mentitur, ſaltat, titubat, comedénſque placentas
Semeſas vulgi ſpargit in ora dapes.
Intus Agyrta notans riſus, et idonea nactus
Tempora, ſic ſcurram corripit ore gravi,
Ludicra mitte, ſcelus; phialas emplaſtráque prome
Ocyus, et miſeris, furcifer, affer opem.
Balſama ubi mea ſunt, et Elixir proprietatis?
Sacra ubi tinctura eſt, et Panacæa mea?
Serve procax, domino, medico, funambule cede:
Hactenus acta tua eſt res, mea nunc agitur.

Facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ——————

Quos ſors dura nimis vetuit ſperare ſalutem,
Queis ſpes ſolvendi debita nulla fuit;
Fortunæ experti caſus ludúmque ſeverum,
Cuſtodis rigidi jura ſevera magis;

Heu

Heu longùm ingrato languebant carcere clauſi,
Et torti variis ingemuère modis.
Spes libertàtis nulla eſt, ſpes nulla ſalutis,
Quotidiéque aucto pondere creſcit onus.
Sed nova jam facies rerum, turbæque miſellæ,
Quam non ſperârunt, gratior hora venit.
Quæ prius impoſuit (ſic vult pia cura ſenatûs)
Nunc eadem frangit vincula Pauperies.

Fronti nulla fides.

Qui novus ingrederis Londinum, inſignia vico
Se pandant omni quam ſpecioſa vides.
At tu ne formæ, nimium ne crede colori,
Non liquet ex ſigno quid domus intus habet.
Angelus effulgens ſuſpenditur ante lupanar,
Oſtendit regis nigra popina caput.
Curatur ſecreta lues ubi lampada cernis,
Et ſacra (quis credat?) biblia Curlus habet.
Quæque ubi ſic ludunt, ut non fallaris in horas,
Hìc oculis nunquam credere diſce tuis.

Ignoti multa cupidò.

Rara nèc invitòs vocat àd ſpectacula cives
  Fawkſius, egregiæ dexteritatis homo.
Fallere ſpectantes quo non ſolertior alter,
  Vel linguæ inſidiis vel levitate manûs.
En vobis (aperitque manum ſpecioſus utramque)
  Orbiculum hunc, præſtò fugit, abivit, adeſt.
Eſt hìc, eſt illìc; nuſquam eſt et ubique videte,
  In menſâ, in loculis hujus, in ore tuo:
Tum peram invertens fallacem orditur ab ovo,
  Gallinam profert aligerúmque gregem.
Chartula ſponte ſuâ ſumma ad laquearia tecti
  Subvolat, et formam juſſa capeſſit avis.
Lætus ſpectator videt hæc miracula rerum,
  Et ſtupet occulti captus amore doli.
Sic ignota juvant, ſic abdita poſcimus omnes;
  Fawkſi, artem retegas, et nihil artis habes.

Aut Cæſar, aut Nullus.
Cæſar.

Carolus Auſtriacas ciet acer in arma cohortes,
  Dum repetit dextræ debita ſceptra ſuæ

Sæpe

Sæpe triumphantem læto Tagus excipit amne,
  Mox refugum pavidis cernit Iberus equis.
Ultima quem maneat dubii cuſtodia regni,
  Ambigit hinc Teuto, Gallus et inde timet.
Sed Lodoix jactans premit alto corde dolorem,
  Túne geres ſceptrum, Carole? Nullus eris.
Ut Nullus fias, Lodoix Tibi conſulit unus:
  Cæſar eris, namque hoc conſulit Anna Tibi.

Nullus.

FUDIT Pannonios Cæſar Germanicus hoſtes,
  Et leges victis et ſua jura dedit.
Sed, cui major erat longo prudentia bello,
  Cæſareas potuit ſternere Gallus opes.
Reginæ ſed adhuc major prudentia Gallos,
  Atque aciem virtus Marlburiana domat.
Quæ tellus uſquam tantis ſe jactet Alumnis?
  Aut bello inveniat conſilióve pares?
Conſiliis Annam, Churchillum fortibus armis,
  Solus, qui poterit vincere, Nullus erit.

Dapibus menſas oneremus inemptis.

Ditior æquali Corydon cum conjuge factus
Permutat tecto ſplendidiore caſam.
Ut feſtum celebret vicinia tota vocatur,
Quis velit a lætâ triſtis abeſſe domo.
Audet nemo novos inonuſtus adire penates,
Nemo vicinis parcior eſſe ſuis.
Æmula ducantur longo ordine fercula, pulli,
Anſer, porcellus, fumida terga ſuis.
His addunt alii (quia ſiccis omnia dura)
Hordea quod, vel quod poma dedêre, merum.
Indulgent ventri, cantatur, nec ſine ſaltu
Innocuóque joco nox genialis abit.
Hoſpes adhuc nullo celebrat convivia ſumptu,
Dulce eſt non emptis luxuriare cibis.
Aſt ubi reddendæ grates, et quiſque vocandus;
Cœna prius poterat tota minoris emi.

Dapibus menſas onerabimus emptis.

Annua dum cives vocat ad convivia Prætor,
Pinguis cum macro conjuge ſponſa venit.

Diſpoſita

Diſpoſita in menſis ſtant ordine fercula longo,
Atque placent oculis mox placitura gulæ.
Dulce decus menſæ ſtat fartum immane, bovíſque
Tergum, quod factum eſt munere regis eques.
Convivæ accingunt dapibus ſe, et tempore toto,
Exciderent patulo ne cibus ore, tacent.
Hinc ubi parta quies epulis, cochlearia læti
Aurata in loculis compoſuêre ſuis.
Maxime, conclamant, Prætor, cape dona tuorum,
Scilicet et grates aureolóſque duos.
Queis ridens hoſpes vos ſæpe hâc lege vocabo,
Tanti vendidero ſi cochleare meum.

Μέγα βιβλίον μέγα κακόν.

QUIS neſcit ſapiens operoſi præla Frobenî?
Auctior hinc omnis bibliotheca tumet.
Non illi placuêre ſales lepidíque libelli,
Perſius aut quod habet, quódve Catullus habet.
Sub prælo ſi ſudat opus, ſi mole ſuperbit,
Par voto et dignum creditur eſſe typis.

Ah

Ah hominum ignaræ mentes! quod vitet in horas
  Neſcius, aut cupiat quod ſibi nemo videt.
Hæc tu ſerò nimis ſenſiſti vera, Frobeni,
  Cum ſtudio atque operà concidis ipſe tuis.
Ære rigens multo trahitur dum grande volumen,
  Decidit e pluteis, comminuítque caput.
Sic moriens nato: . Folio ne crede labores,
  In Decimo ſexto tutior eſſe potes.

Μέγα βιβλίον μέγ' ἀγαθόν.

Ite procul, tenues ſcriptores, ite nefaſti,
  Unica queis totum pagina complet opus.
Vincat amor patriæ, laudúmque immenſâ cupido,
  Et creſcat moles ingeminata libri.
In tergo ſcribas, imperfectúmque relinquas;
  Ultrà tende opus, et ſit ſine fine labor.
Hinc ſibi vectigal promittit cura Senatûs,
  Hinc conſcribetur miles in arma novus.
Sic auctor poteris longum producere bellum,
  Francorum regi ſic metuendus eris.

Sic tibi, ſic patriæ ſapienter proſpice; civis,
Qui bonus eſt, auctor non malus eſſe poteſt.

Ars felicior ingenio.

Condidit egregium multo conamine vates,
Carmen, quod dignum Cæſaris aure ſonet.
Protinus exultans, pretiique et laudis avarus,
Fert opera ornatis ſubjicienda typis.
Artibus at dives, naſo ſuſpendit adunco
Jejunum vatem bibliopola Tryphon.
Dúmque hic abnormem pingueſcit ad Aldermannum,
Paulatim ingenio deperit ille ſuo.
Qui moriens — Utinam, mutatâ ſorte, Poeta
Tu meus, atque ego ſim Bibliopola tuus.

————Miſerâ felicius arte Ingenium.————

Cum nondum ingenuas nôrat Partrigius artes,
Cerdonem mater provida fecit anus.
Illa reluctantem cellâ concluſit in arctâ,
Et miſeras miſerè quærere juſſit opes.

Nunc

Nunc voluit morſu rigidas extendere pelles,
Nunc ſetoſa agili ducere fila manu.
Non tulit hoc juvenis, natus melioribus aſtris,
Sed petit ingenio munia digna ſuo.
Fata canit, regúmque vices, et nobile bellum;
Et quibus auſpiciis quilibet annus eat.
Deſertas ridet jam fortunatior artes;
Si fuerat cerdo, mortuus eſſet inops:
Et, quod in aſtrologum prædixerat armiger Iſaac,
Verum eſſet: ſed nunc vivitur ingenio.

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Ariſtippus.

Parre ſenex, annos dederant tibi juſcula multos,
Et modica haud paucos addidit herba dies.
Nunc panem cœnas patiens, nunc allia prandes,
Et levat arentem proxima lympha ſitim.
Vivis, et ornatæ ſpernis faſtidia menſæ,
Et tibi vel crambe bis repetita placet.

 Hunc

Hunc tamen ad lautam accerſit dum Carolus aulam,
Et variis onerat regia menſâ cibis;
Dum cœnat nullis pulmenta laboribus empta,
Et, quorum neſcit nomina, vina bibit:
Impletur, turget, ſtertit defeſſus edendo,
Mox obit; oſſa ſenis proxima ſana tenent.
Si non guſtaſſet regalia fercula, felix
Vidiſſet tempus forſitan, Anna, Tuum.

———Diogenes ſi ſciret regibus uti
Non pranderet olus patienter.———

Dum ſedet in medio Cynicus ſibi ſtercore plaudens,
Deſpicit et torvâ fronte ſuperbus opes:
Gaudet in obſcœnum pectus deſcendere barbam,
Hiſpidáque exultat vix ſua membra tegi:
Artibus his populo ſeſe commendat inepto,
Et vagus in triviis jactat inane ſophos.
Purpureus quantò melius Plato limina regum
Ambit, ubi poterit ſuaviter eſſe bonus!

Terentius eſſe mallem quâm Roſcius.

Arte laboratum multâ, dignúmque Catone,
In ſcenam tandem nobile prodit opus.
Certatim coeunt proceres et vulgus in unum,
Et læto reboant denſa theatra ſono.
Exprimit antiquum vultu inceſſúque Catonem
Roſcius, et priſcæ ſtat gravitatis honos.
At vatem laus quanta manet? quæ gloria? mores,
Tam benè quos nôrat ſcribere, ſcriptor habet.
Huic decus æternum, tibi ſed brevis, hiſtrio, vita;
Cum ſcenâ exieris, deſinis eſſe Cato.

Roſcius eſſe mallem quàm Terentius.

Qui pinxit vates, toto plaudente theatro,
Cæſara conſoſſum, Vindloriáſque nurus;
Indoluit votis non reſpondere labores,
Scribit, laudatur; nil tamen æris habet.
Infelix Tragicos mox induit ipſe cothurnos,
Et malè fabellas, quas benè ſcripſit, agit.

In ſcenam hinc dives bene curatâ cute prodit,
Eſuriit vates, hiſtrio pinguis obit.

Stultitiam patiuntur opes.

ÆLIA ſtulta, procax, edentula, garrula, pugnax,
Cura tamen juvenum publica prodit anus.
Hanc ambit miles, precibúſque fatigat amator,
Et jacet occluſas pervigil ante fores.
Ζωὴ καὶ Ψυχὴ ſexagenaria rurſus
Audit, in amplexus ire petita novos.
Quis furor, o juvenis? quæ te medicamina cogunt
Canidiæ emeritæ ſolicitare torum?
Scilicet hanc conjux cumulatam morte reliquit,
Ingentéſque capax area recondit opes.
Mille licet vitiis ſit famoſiſſima, dives
Quæ vidua eſt, uxor non erit illa mala.

Stultitiam non patiuntur opes.

PRÆTORIS menſam fumantia fercula ſtipant,
Diſtinguit varias lucidus ordo dapes.

Terga

Terga boum longos inducunt pinguia ſomnos,
Et ſpiſſus nidor prægravat omne caput.
Hoc ferrem: ſed cum lepidè ſtupet Aldermanus,
Et ſpargis multos, Prætor honeſte, ſales;
Conviva Humfredi malim jejunia: quam ſic
Et ſatur eſſe cibis, et ſatur eſſe jocis.

Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſunt ſcripta meri potoribus. ———

Mons ubi prærupto ſe vertice tollit in auras
Parnaſſus, liquidis ſons aperitur aquis.
Hìc vatum ſecreta virent cunabula, ſedes
Hìc poſuit Phœbus Pieridúmque chorus.
Nec cuiquam Aoniæ placidè risère ſorores,
Caſtaliâ fuerat ni bene potus aquâ.
Æterni hi latices et aquarum vena perennis
Carmina nulla ſinent hinc oriunda mori.
At fugiunt caſtæ Bacchi conſortia Muſæ,
Ne minuat vires, quas dedit unda, merum.

Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. ———

Læta ſalutiferos ubi jactat Tunbria fontes,
Et ridet latices, pharmacopola, tuos:
Hìc poſtquàm vates gelido ſe proluit hauſtu,
Neſcio quid dirum Tunbrigiale canit.
Frigidus Aonias nequicquam in vota ſorores
Invocat, haud iſtas Muſa frequentat aquas.
Carmina fumoſis ſcribit damnanda culinis,
Quodque ortum eſt undis, igne peribit opus.

Futilis auctor qui in diem ſcribit.

Antoni, accuſas quâ tu potes arte Milonem,
Et jactas toto probra pudenda foro.
Stat contrà, cauſam dicit, pollenſque potenti
Defendit fortem Tullius ore reum.

Strenuus

Strenuus egregiè contorquet Rhetoris arma,
Et populi circùm fuſa corona dolet.
Tu tamen, Antoni, populo plaudente, triumphas,
Pro pudor! inque diem præ Cicerone places.
Nunc ſolus Cicero legitur, nunc inclytus audit:
Viváque nunc volitant ſcripta per ora virûm.
Noſtra tuas, Antoni, ignorant ſecula chartas,
Et ſemper victrix cauſa Milonis erit.

Utilis auctor qui in diem ſcribit.

Admoneant ſeros civilia bella nepotes,
Clarendone, tuâ nobilitata manu.
Mirandus noſtris ducibus populíſque remotis
Angliacâ vivas primus in Hiſtoriâ.
Non hæc curat Abel, non illis invidet auſis,
Vita, inquit, brevior, vita diurna placet.
Quid ſi nocte perit mihi fama, at mane reſurgit,
Et quoddam ſero veſpere prodit opus.
Nos urbanus eques, nos ruſticus armiger optat,
Et noſtros iterat quæque popina ſales.

Quorſum

Quorſum itaque æternæ divina volumina famæ?
Hæc omnes laudant, ſed mea ſcripta legunt.

Optandus eſt medicus qui aliquando ipſe ægrotaverit.

Dum Corydon Hypocondriacis in partibus auram
Fert ægrè, et miſeris diſtrahit ora modis:
Se ſæpe incurvans, o ventrem! o ilia! clamat,
Pungit ut internus viſcera torta dolor!
Audit anus clamantem hos ſæpe experta dolores,
Et, mea, ſume, inquit, pharmaca, ſanus eris.
Aſpicis exiguam, quam verſo pollice, glandem,
Hæc tibi reddet opem, quam mihi ſæpe tulit.
Sumpta iterum atque iterum, et multos ſervata per annos,
Jam de viſceribus jam calet illa meis.
His vix auditis, ægroto nauſea ſurgit,
Et vomitu immodico quaſſat utrumque latus.
Hinc dolor omnis abit, ſed et hinc dolor omnis abire
Non poterat, ſemper ſi valuiſſet anus.

Optandus eſt medicus qui nunquam ipſe ægrotaverit.

Cui tulerant ingrata decem faſtidia menſes,
Fœmina jam partûs ſentit adeſſe diem.
Parturit, approperans matrum venit agmen, anúſque
Officioſa ſuam quæque miniſtrat opem.
Non tamen ad ſuperas proles educitur auras,
Viſcera nec levior torquet onuſta dolor.
At tandem vetulis vir paulò doctior adſtat,
Ventre laborantes ſuetus adire nurus.
Quælibet huic cedit mulier bona, quíque dolores
Lucinæ nunquam ſenſerat, ille levat.

Oderint dum probent.

Fors erat ægroto Satanam decumbere lecto,
Cùm medicæ ſupplex poſceret artis opem.
Protinus acciti pia turba Machaonis adſunt,
Et tractant tremulam febre premente manum.
Illi autem, doctis muſſantes multa ſuſurris,
Vivendi nullam ſpem ſupereſſe monent.

Unus

Unus, et is veteris graviter miſeratus amici,
  En! tibi ſpes reſtat ſola cucullus, ait;
Indue, te facias Monachum: fremit horridus ille,
  Et torvo oblatam reſpuit ore togam.
Deviſtus tandem, quamvis ſtomachoſus et æger,
  Inviſos panos induit, et valuit.
Geſtat adhuc (fama eſt) renovatæ pignora vitæ,
  Uſque tamen veſtes odit, et uſque probat.

Dum ament improbent.

Perventum eſt quoties formoſam ad Phyllida, amores
  Audivit toties ſolicitata meos.
Rivalis formam intereà, comptóſque capillos,
  Et nitidam laudat nympha proterva togam.
Pulſanti portam moto mihi cardine pandit,
  Ille fores pulſat, janua nulla patet.
Rivalem abſentem laudat, neque curat amores;
  Præſentem culpat me, ſed amore fruor.
Sic in me ſemper fundat convicia Phyllis,
  Sic ſit rivali ſemper amica meo.

Vulgus amo et colo.

Dum feſtivum errat paſſim per compita vulgus,
  Gaudia teſtatur vi ſtrepitúque ſuo.
Sin tecta obſervat nullis ſignata triumphis,
  Fuſtibus et ſaxis multa feneſtra perit.
Callidus his ſocium ſeſe vitrarius addit,
  Gnarus plebeium ducere voce gregem.
Salvete, o puerîque virique, et cætera noſtri
  Semper amans, nobis ſemper amata cohors.
Veſtrâ ope corruerent fractæ nî mille feneſtræ,
  Eſſet jamdudum res mihi fracta domi.

Odi vulgus et arceo.

Dum puer orator facundo perſonat ore,
  Heſterno celebrans annua feſta die;
Vicinum in loculum, ſolitæ non immemor artis,
  Fallacem immiſit lubricus erro manum.
Proditur ille Deo nunc hæc furatus iniquo,
  Supplicium lachrymans et puerile tulit.

Atlantis facunde nepos, præclare Deorum
  Interpres, Maiam quem peperiſſe ferunt,
Ingenium largiris, et inclyta carmina pangis,
  Doctis apte ſoris aliger, apte jocis.
Te ſchola noſtra ſibi lætatur adeſſe quotannis,
  Diſcipulos certè malle abeſſe tuos.

Poſitum ſic tangere nolo.

Aureolum in triviis Corydon ubi forte jacentem
  Aſpicit, ignarus ſórſve Deúſve ferat.
Callidus occurrens nebulo bene fallere doctus,
  Dimidium aureoli vendico jure mihi.
Annuit hic, notámque ſimul petiêre tabernam,
  Dúmque bibunt, ſocio charus uterque ſuo eſt.
Mox nebulo appoſitum tollit quaſſatque fritillum,
  Quem regere artifici noverat ille manu.
Ruſtico opes periêre, perit labor irritus anni,
  Quàm damnoſa mihi munera ſortis, ait?
Quis niſi mentis inops oblatum reſpuat aurum?
  Sic poſitum tangat quis niſi mentis inops?

Poſitum ſic tangere malo.

Falstaffus pinguis, ſemper memorabile nomen
   Vatibus, et lepidi gloria prima chori,
Falſtaffus mendax, quo non præſtantior alter
   Voce movere jocos, voce monere fugam.
Percæum ut ſævo morientem vulnere vidit,
   Henrico comiti ſic malè ſalſus ait.
Vidi ut tela manu jactabant irrita Scoti,
   Sàtque mihi pugnam poſſe videre fuit.
Vidi ut Percæus cecidit ſub vulnere, vidi
   Et cecidi nullo vulnere foſſus ego.
Hunc contra oppoſui te dum ſtetit acer in armis,
   Vincere ſic poſitum ſit meus iſte labor.

Laudo dapes menſæ brevis.

Noctes atque dies venientibus oſtia pandit
   Pimlico, mendicis ſemper amica domus.
Hìc Irus, comitéſque Iri, poſt lucra diei,
   Conveniunt, hilaris ſed neque parva cohors.

Lignea

Lignea ponuntur crura et velamen ocelli,
  Diluitur fictus qui notat ora cruor.
Irus ad hos ; ſalvete, omnes, expromite peras :
  Quiſque ſibi dapifer ſit, ſibi quiſque coquus.
Sumite vos calices manibus, genibúſque puellas,
  Hinc canite, et feſtos hinc celebrate choros.
Sors noſtra, o fratres, quicquid ſit in orbe negotî
  Præſtat, nam feſſis advenit alma quies.
Nolumus hìc, nobis modo Juſticiarius abſit,
  Aut vitæ aut menſæ de brevitate queri.

Odi dapes menſæ brevis.

Cum ſacra Angliacos cingunt diademata reges,
  Exhibet immodicas menſa ſuperba dapes.
Conveniunt proceres antiquo e ſtemmate nati,
  Quóſque alios paſſim cogit iniqua fames.
Hinc prodit Normannus, et hinc Aquitanicus heros,
  Quos olla illuſtres traxit odora duces.
Latè exporrecto velatur uterque galero,
  Et Tyrio incedens ſyrmate verrit humum.

Ex

Ex his, dum celebrant convivia, lætior alter,
Prò nos felices! dux, bone frater, ait.
Neſcio tu quid agas, breviorem ſternere menſam
Heu (nimiùm frugi) noſtra duciſſa ſolet.
Jupiter, o facilis, humiles nil poſcimus ultrà,
Sæpius hos, ſalvo rêge, redire dies.

Nulla manere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.——

Karus homo, muſis Johnſonus amabile nomen,
Ut tantæ acciperet præmia digna lyræ,
Hoc ſolum exoptat, ſolum hoc ante omnia, vates,
Annuum ut impleret vitis libera cadum.
Laurigeri vates, hunc morem exindè ſecuti,
Potavère pares, et cecinère pares.
Non Heliconis aquæ, non circum tempora laurus,
Sed tam dulce melos dulcior uva dedit.

Nulla manere diu, neque vivere carmina poſſunt, Quæ ſunt ſcripta meri potoribus.———

Dum læti indulgent ſocii genialibus horis,
Liberiora calens pocula ſuadet amor.
Quiſque ſuo inſcribit temulentus carmina vitro,
Carmina quæ ſcribi Bacchus Amórque jubent.
Fervet uterque Deus ; tandem plus pota repente
Abjiciunt cyathos turba jocoſa leves.
Disjecta heu! fruſtrà quæris, Tonſone, poetæ
Fragmina ; ſors eadem carminis atque vitri.

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Sunt, quibus unum opus eſt cæcis ſimulachra cavernis
Eruere, et veterum fragmina torva ducum.
Hic Curios atque inde Remum cum fratre Quirino
Oſtentat marmor dimidiámque lupam.
Quanto rectius hic, qui munera digna Patrono,
Digna domo Iſiacos juſſit habere lares.

Illic

Illìc marmoreâ Wolſæus imagine ſpirans
  Arces, quas olim condidit ipſe, colit.
Erecti ſplendent vultus, ſedet ore voluptas,
  Miratúrque animi munera larga ſui.
Sic tibi et hos olim pia nutrix ſolvet honores,
  O ingens ædi huic Wintoniæque decus:
Téque parem meritis parilíque in ſede locatum
  Indigenam agnoſcent poſtera ſec'la patrem.

Sapit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Howardus Comes antiquûm monimenta virorum,
  Italiâ variæ contulit artis opus.
Hinc doctis veterum populorum et fœdera regum,
  Cecropidum annales bellàque geſta patent.
Scipiadæ hìc acres ſpirant, duo fulmina belli;
  Illìc pacificam tendit Apollo lyram.
Sculpitur hìc chartas verſans, et velle videtur
  Mancus dimidio Tullius ore loqui.
Afferat Eois nugas mercator ab oris,
  Merce, Comes, Patriam nobiliore beas.

Per Te, quod felix excudit Græcia, per Te,
Quod victrix rapuit Roma, Britannus habet.

Nec Cæſar nec Nullus.

Dan Prior ut cecinit, Joannes atque Joanna,
Ingenio modico, ſimplicitate pari,
Felix ſponſa viro, felix uxore maritus,
Cœnat uterque ſimul, dormit uterque ſimul.
Non ſpecioſa nimis, non eſt nimis arcta ſupellex,
Nec locuples nec egens ille, vel illa fuit.
Mollia ſecuræ peragebant otia vitæ,
Seu res ſuccedat publica, ſive cadat.
Par nimiùm felix! tranquillæ gaudia vitæ
Non habuit Cæſar talia, Nullus habet.

Aut Cæſar aut Nullus.

Quem modò detinuit vili cum merce taberna,
Quærit patricias ambitioſus opes.
Aſſiduus comes huic hæret Judæus Apella,
Quando emat aut vendat tempora certa notans.

Hinc

Hinc auri montes ſibi ſperat primus in Angi-
Portu, alii vendunt omnia, ſolus emit.
At, currente rotâ, magnis miſer excidit auſis,
Et vento adverſo ſpes agitata perit.
Illi non hodie quadrans ſonat unus in arcâ,
Millenos decies qui numerabat heri.
Securus propriâ potius quam in pelle quieſcat,
Urſi, quam dicunt, mallet habere cutem.

Poſſunt, quia poſſe videntur.

Clavigeri Heroes, duo vaſtâ mole gigantes
Defendunt hortum, docte Bobarte, tuum.
Terribiles viſu formas pueri atque puellæ
Attoniti cernunt, corripiúntque fugam.
Hinc ſecura ſuâ pendent ex arbore poma,
Uváque ſub viridi palmite tuta latet.
Quanquam hic fuſte minax, ille acer et arduus haſtâ,
Nulla eſt in toto mitior arbor agro.
Non lædit fuſtis, ſed lædere poſſe videtur,
Et fures, quos non vulnerat, haſta fugat.

Vellera non melius tauri, meliúſve tuetur
Heſperidum cuſtos aurea mala draco.

Nequeunt, quia poſſe videntur.

Ut vidi nitidæ fulgentia ſigna tabernæ,
Hìc inquam ſitiens optima vina bibam.
Ingredior, cyathum poſco; puer ocyus affert;
Admoveo labris, haurio; vappa fuit.
Prome, quid hoc? clamo iratus, vinum anne venenum?
Spondebant purum talia ſigna merum.
Ille caput quaſſans, non hìc, quia poſſe videmur,
Poſſumus; huic ſigno non adhibenda fides.
Cernis quam pulchro decorentur palmite poſtes,
Hinc fit ut in totâ nulla ſit uva domo.
Signo impendit opes dominus, ſtat Bacchus in auro,
Stat cadus auratus, ſed nihil intùs habet.
Impatiens clamo, procul hinc, procul ite, bibaces:
Infames nec tu, Bacche, tuere lares.
Quid facis ad portam, cella eſt tua cura, Lyæe?
Ipſe ſuas Dominus pendeat ante fores.

—— Miſeri, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua. ————————————

Mercator, nigros qui ſæpe reviſerat Indos,
 Eque mari immenſas conciliàrat opes.
Dilecti tandem declinat tædia ponti,
 Et, quod conſuèrat ſpernere, littus amat.
Villam emit ingenti pretio, bonus armiger audit,
 Inter et armigeros otia lentus agit.
Poſcit equum properè, ſed nec conſcendere novit,
 Nec, ſi conſcendat, fortiter hæret equo.
Curſitat hinc illinc, urbem, fora, balnea viſit,
 Et queritur longi temporis eſſe moras.
Maximus huic labor eſt nullos habuiſſe labores,
 Et partas uti neſcius odit opes.
Ad ſolitam vitam redit ocyus, eſſe beatum
 Et, quæ ſola dedit, ſola carina dabit.

—— Felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua. ————————————

Egit ſecurus multos Academicus annos,
 Abſente aut podagro præſide, præſes erat.

Prorogat

Prorogat in lucem placidos impune ſopores,
Et linquit pueris tædia longa precum.
Tandem experrectus, repeténſque negotia vitæ
Ignavæ, nigrum purgat in igne tubum.
Curarúmque et longa librorum oblivia potat,
Qui non eſt ſenior, doctior eſſe velit.
Scilicet ad ſummos dudum hic pervenit honores,
Paret ei promus, ſubjicitúrque coquus.
Exauctas epulas quoties lux feſta reducit,
Primus decumbit, non ita primus abit.
Quid petat ulterius? nimis hunc fortuna beâſti,
Cui, quod edat, ſatis eſt, et nihil eſt quod agat.

Ne cui de te pluſquàm tibi credas.

Audit Partrigius ferri ſua fata per urbem,
Miratúrque elego ſe ſupereſſe ſuo.
Mox veſpillo venit, poſcitque ad buſta cadaver,
Apportans feretrum funereámque togam.
Quorſum, ait, hæc? compeſce manus, veſpillo, nefaſtas,
Quid tua ſedulitas officioſa parat?

Vis

Vis vivum ſepelire? loquor, video, audio, guſto,
Quid majus quiſquam, dic mihi, vivus agit?
Sutor et aſtrologus ſoleas accomodo, ut antè,
Æquè veraces vendito Ephemerides.
Sin dubitatur adhuc, ſeu vivos inter habendus,
Símve inter manes; hæc mihi certa fides:
Fortunatus ego, mihi enim poſt funera ſoli
Contingit vitâ poſſe priore frui.

Cuivis de te pluſquàm tibi credas.

Ludit imaginibus Thyrſin falſóque tumultu
Mens hypocondriacis exagitata malis.
Omnia mutari ſeſe in miracula rerum
Somniat, et varium Protea cæcus agit.
Nunc leo terribilis rugit, nunc ſibilat anſer,
Trux lupus exululat, blandula balat ovis.
Mox gravido ſentit luctantes ventre gemellos,
Et triſtem partûs credit adeſſe diem.
Inde ſibi metuens, ſum vitrum, et fictilis olla;
Siſte procul, noli tangere, frangar, ait.

Sed

Sed quò, Thyrſi, furor? quò te hæc inſania ducet?
  Te fallit domino mens malefida ſuo.
In formas omnes mutabere, ſi tibi credas;
  Incipias aliis credere, ſanus eris.

Nocet empta dolore voluptas.

Exardet Phyllis larvatos viſere ludos,
  Induit et formam virgo pudica novam.
Hærens propoſito, nutricis ſobria ridet
  Conſilia, et patruæ jurgia temnit anûs.
Cuncta ibi conſpirant incautam fallere nympham,
  Nox, veſtes, choreæ, barbita, vina, joci.
Occurrit tandem leno, quo nympha magiſtro
  Excipit amplexus, improbe Cotta, tuos.
Hinc illi dant longa decem faſtidia menſes,
  Et procul admiſſi conſcia rure latet.
I pete larvatos iterum, temeraria, ludos,
  Si ſit larva probrum quæ tegat ulla tuum.

Juvat empta dolore voluptas.

Dum Phœbi radios premit interjecta Diana,
  Majorem vincens orbe minore globum;
Horreſcit nigrâ tellus caligine tecta,
  Nocturnus madidis decidit humor agris.
Ad nidos properant volucres, procumbit humi bos,
  Deſerit, at nondum feſſus, arator opus.
Mox ubi carceribus ruptis ſol emicat ardens,
  Et fundit rutilum lux inopina jubar;
Quàm læta eſt rerum facies! formidine demptâ
  Terricolûm mentes gaudia quanta beant!
Jam nox ipſa placet, fuerit jam denſior umbra
  Optamus, quo ſit gratior indè dies.

Non medio tutiſſimus ibis.

Seu furtum facit, injuſſus ſeu ſigna relinquit
  Miles honoratos ſiſtitur ante duces.
Damnatur mediam nudus percurrere turmam,
  Quótque viros numerat turma flagella pati.

Hinc

Hinc illinc ſocii duplici ſeſe ordine ſiſtunt,
Et tremulum proni in verbera vimen agunt.
Invitus ruit ille, et ſe medium ictibus offert,
Heu! tamen eſt humeris illius impar onus.
Jam miſer hanc partem, jam ſe declinat in illam,
Nec juſſum recto tramite tendit iter.
Fuſte ferox ductor verbiſque minacibus inſtat;
Quo curris? mediam carpe, ſceleſte, viam.
Cui miles, dextro, bone dux, vel parce ſiniſtro;
Si medium teneo, plector utrumque latus.

Medio tutiſſimus ibis.

Vox vetus eſt, unum media de nocte minutum
Totâ, quantâ fuat, plus valuiſſe diè.
Hinc puer exili verro verro ore caminum,
Et lac rauca novum vociferatur anus.
Curia mox patet, it judex legiſque peritus;
Curribus it ſenior, junior ordo pedes.
Veſpere per mediam fumus deducitur urbem,
Dimittitque ſuos cœna peracta greges.
Nulla quies, primo egrederis ſi mane, viator;
Si primo redeas veſpere, nulla ſalus.

Non

Non ita, compoſuit cum ſerior hora tumultus,
  Lunáque nocturnos altior egit equos.
Tempus ad hoc, ubicunque bibas, juvat uſque morari,
  Nocte potes mediâ tutior ire domum.

Ut pictura poeſis.

Quarli muſa pio conatu emblemata tentat,
  Et ſacrum miſero carmine fœdat opus.
His, ope pictoris non inferiora ſecuti,
  Additur indoctâ ſculpta tabella manu.
Quàm benè reſpondet, digna hæc pictura poeſi?
  Ut laudes clarum par meruêre pares.
Tam ſimiles, ut vix poterit dignoſcere lector,
  Quis veſtrûm pictor, quíſve poeta fuit.
Tales qui pinxit tabulas, certè ille poeta;
  Talia qui ſcripſit carmina, pictor erat.

Non ut pictura poeſis.

Dum ſocia ad modulos Anglos cantare Maronem,
  Et Rhythmo in tenui nobile ſtringis opus:

Exclamant

Exclamant omnes, quæ te dementia cepit,
Ogilvi? tibi non convenit iſte labor.
Non ſatis eſt pictâ Æneam armare tabellâ,
Non ſat ut inciſo Turnus in ære cadat.
Adde animos dignos heroibus, adde vigorem,
Fac illos eadem, quæ Maro, verba loqui.
Tu tamen in tabulis es totus, ut optet Apelles
Sic pinxiſſe, at non ſic ceciniſſe Maro.

Cui, quod ſatis eſt, contigit, tamen amplius optet.

Damon longævus paríliſque ætate Coriſca
Parvam concordes incoluère caſam.
Hos tamen, emenſæ poſt tædia longa viaï,
Jupiter intrávit Mercuriúſque lares.
Vultibus invitant lætis, et ſimplice victu
Excipiunt vetuli, quo potuère, Deos.
Hoſpitium placet, et prodens ſe Jupiter, inquit,
Quodcunque optatis per tria vota dabo.

En!

En! Divi, patinam hanc, exclamat læta Coriſca,
O! dignum patinâ ſit cochleare meâ.
Iratus Damon, cochleare, anus improba, poſcis?
Fixum oro in natibus ſit cochleare tuis.
Quod ſatis, et pluſquàm ſatis eſt, duo vota dederunt;
Nam duo, ni dentur tertia vota, nocent.

Cui, quod ſatis eſt, contigit, nihil amplius optet.

Qua facili lambit Greenvicum Thameſis undâ,
Sera quies nautis, ſurgit amica domus.
Fortia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Emeriti has ſedes munere regis habent.
Hìc vel crure minor vel utroque orbatus ocello
Nauta, nec amiſſum crus oculóſve gemit.
Hic alacres bene paſtus agit noctéſque diéſque,
Quæque dedit, memorat vulnera, quæque tulit.
Hìc ſuperata ſuâ virtute pericula narrat,
Pingit et exiguâ prælia cer'viſiâ.

Dum

Dum gaudet dulces haurire et reddere fumos,
  Proſpicit et celeres ire redire rates;
Ad Boream Wagerus, atque Hoſierus ad Indos;
  Quicquid, ait, cupiunt hi, mihi cella dedit.

Satis in re unâ conſumere curam.

QUI quondam merces pelago petière remotas,
  Plurimáque Auſtrali lucra revecta mari,
Mutati Arctoo captant de gurgite cete,
  Nec pudet æquoreos inde referre canes.
Quin nova moliti tentatis inaniter artes
  Inſolitas, operam perditis atque oleum.
Ad ſolitos remeate dolos, veteréſque labores
  Sumite, lucra manent uberiora domi.
Gobio concurret nudos hic multus ad hamos,
  Et, quicquid captent retia, piſcis erit.

Non ſatis eſt in re unâ conſumere curam.

Qua ſparſa hinc illinc videas magalia, tonſor,
Tonſtrinam haud unâ doctus in arte locat.
Res anguſta domi eſt, quæſtum facit ille puſillum,
Et quo vix panem ſumere poſſit, habet.
Eximit hinc dentes, quos ſupplet eburneus ordo,
Indocilíque ſono clericus inde canit.
Præſcribit clyſtrum mox et catapotium amarum,
Sanat et emplaſtris vulnera cuncta ſuis.
Abſcindit primum digitus, dein crura chirurgus,
Omnibus optatam ferre paratus opem.
Hinc opere aſſiduo fervet tonſtrina, viróque
Ars varia haud parvas conciliavit opes.
Tanti eſt multa ſimul tractare negotia; panem
Singula vix dederant, juncta dedêre dapes.

Voluptas ipſa labor.

Qua ſaltus et quâ minitantur ſaxa ruinam,
Cauta ſibi vulpes excavat arte domum.

Non tamen hanc præſtat ſecuram cæca caverna,
Non juga vix ipſis exuperanda feris.
Accitis canibus, ſponſam lectúmque relinquit
Sylvius, atque acrem poſcit anhelus equum.
Inventam exagitat per ſaxa rubentia cæde,
Quà via difficilis, quà via nulla, feram.
Nunc ſepem objectam, nunc alta repagula tranſit,
Nec cœptam impediunt ulla peric'la viam.
Lapſus equo foveam nunc præcipitatur in altam,
Nunc duram prono pectore radit humum.
Vix tandem, eſuriens, ſiccus, lacer, ore cruentus,
Vix potis eſt captâ vulpe redire domum.
Lætus ibi memorans longi diſcrimina curſus,
Nunc ſua, nunc laſſi vulnera narrat equi.
Orta voluptati ſi tot, ſi tædia tanta,
Dic, quid deterius vel labor ipſe ferat?

Labor ipſe voluptas.

Cultor et æquarum Cuſtor fidiſſime legum,
Et non unius gloria prima fori;

Ecquis

Ecquis fando tuos poterit numerare labores,
Quem finit a curis nulla vacare dies ?
Mane novo properas cauſarum ſolvere nodos,
Utile nec ſero veſpere ponis opus.
Ad fora juris amor lætum Te ducit, et idem
Exercet proprio ſub lare juris amor:
Nil agit auguſtus Te non præſente ſenatus,
Te Rex conciliis poſcit adeſſe ſuis.
Hinc recte inſcriptum legimus Labor Ipse Voluptas,
Creſcit ab hoc meritæ nobilitatis honos.
Si labor iſte juvat Te pondera tanta ferentem,
Nos, quibus inſervis, quàm juvat iſte labor!

Veritas odium parit.

Horarum immemores potores tempora fallunt
Suaviter, atque frequens ítque redítque calix,
Redditus a tabulis fragrans vapor exit in auras,
Nec ceſſat lepidi fabula plena joci.
Cum ſubitò obſtreperus turbat fragor oſtia pulſans
Non expectato gaudia tota ſono.

Lictor adeſt, clamans horrendâ voce per umbras,
Prima ſonat, moniti diſcite, prima ſonat.
O ſcelus! o ſileat vox iſta odioſa! moneri
Quis vellet talem præteriiſſe diem?

Veritas amicos parit.

Est homo, mercator ruri, cui lux tremit intùs;
In cultu gravitas eſt, et in ore fides:
Qui longis odit verborum ambagibus uti,
Nec cum vicinis diſſimulanter agit.
Nec pretium ingeminat venalibus amplius æquo,
Ut mox diminuat dimidiétve lucrum.
Nec nimis extollit merces et laudibus auget,
Commendet melius quas ſuus ipſe valor.
Nil vanum aut fálſum, ſed Næ ſolenniter aut Non
Profert particulas, et ſine fraude, duas.
Quodcunque affirmatu opus eſt, quodcunque negatu,
Affirmat nudè, ſimplicitérque negat.
O probitas primæva! an et hæc laudatur et alget?
Nonne hæc emptores conciliare ſolet?

Næ

Næ! venit, ah! ſane! multus venit emptor amicus,
  Multáque cum ſancto fratre profana ſoror.

Aliorum obſequere ſtudiis.

Belinda ad ſpeculum longas dum conterit horas,
  Juſtior ut poſitas comprimat ordo comas:
Serva a ſecretis juxtà ſtat ſedula Phœbe,
  In dominæ laudes officioſa ſuæ.
Omnia mirari præſens crinémque colorémque,
  Et molles oculos purpureáſque genas.
Quàm bella hæc macula eſt, lævum quæ ſtringit ocellum!
  Quàm geminat Veneres lunula bina tuas!
Quàm bene nativæ reſpondent omnia formæ!
  Ut gracilem attenuat Zona reducta ſinum!
Faſciolis Phœbe, Phœbe donata lacernis
  Et placet, et quanti ſit placuiſſe docet.

Ne obſequere aliorum ſtudiis.

Automedon auriga (Deus permittere ſi vult)
  Quóque diè notas ítque redítque vias.

Invehitur gravis hoſpitiique viæque tyrannus,
Pro libitu carpens imperioſus iter.
Intempeſtivo rumpit clamore quietem,
Vociferans mediâ nocte, morantur equi.
Siſtitur ad ſolitas divortia nota tabernas,
Flocci alios faciens, rex dominúſque ſui.
Tempore quæque ſuo peragit, multùmque rogatus
Nec currum impellet, nec retinebit equos.
Certior a thalamo Thetidis non exit Apollo,
Certior ad Thetidis non redit ille ſinum.

Magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

Emptores index ad libros cogit emendos
Quà Rawlinſoni bibliotheca patet.
Aſtutus ſcandit Ballardus roſtra, libróſque
Eloquio exponit, malleolúmque quatit.
En! ait, archetypum rarum, cui jactitat Aldus
Non ſimilem, ſimilem nec Colinæus habet.
Primus libram offert, pretium ampliat alter et alter,
Ingeminat quartus, nec niſi quintus emit.

Jámque

Jàmque dedit tandem fatalem malleus ictum,
Inque ſinu carum Cinna reportat onus.
Quis liber hic tanti? Caxtoni nobile ſcriptum:
Par Voluſi annales vix meruère decus.
Chartula quæ capſas ornat pretioſa ſuperbas,
Apta foret ſolis, vilius empta, coquis.

Minus illa juvant, quæ pluris emuntur.

Invigilat parto dum dives Opimius auro,
Et vappam et crudum dum malè cœnat olus;
Incidit in morbum, et graviter ſuſpiria ducens,
Ponit in ægroto languida membra toro.
Soliciti accurrunt comites, ſortíſque miſerti
Hortantur, medicam quærat ut æger opem.
Ille caput quaſſans, cur me ſpoliatis amici?
Sumptibus his Crœſi non habet arca ſatis.
Auferet a nobis primùm aurea bina Machaon,
Dein aderit gravius pharmacopola malum.
O quantum gravior morbo medicina! placeret
Vita, ſed o poſſet vita minoris emi!

Omnia ruunt in pejus.

Qua malè vix tutos præſtant habitacula ſomnos,
 Et nutant longo jam peritura ſitu:
Finditur heu! rimis paries, totúſque fatiſcens
 Frigoris admittit vim, pluviúmque Jovem.
A primâ ad decimam trabs, incumbente ruinâ
 Curvata, antiquum ferre gravatur onus.
Utcunque inclemens cœlum eſt, utcunque ſeverum,
 Pendula tecta locis ſarta, reſarta patent.
Mille extrà ſaxis, et paucis læditur intrà;
 Nec patitur medicam fracta feneſtra manum.
Et, quaſi præſenſo jam lapſu, animalia cauta,
 Muſtelæ veteres deſeruêre lares.
Queſtibus hæc iterans mœſtis, iteránſque Camœna,
 O quis, ait, finem, quis dabit hiſce malis?
Hæc ſuper antiquâ queritur: timor additur alter,
 An nova fortunâ ſtet meliore domus.

Non omnia ruunt in pejus.

Deducit genus Heroum de gente Britannus,
 Et longo claros ordine cenſet avos.

Excitet

Excitet ut natos ad famam animóſque viriles,
Majorum pueris fortia facta refert.
Oſtentat galeas clypeóſque in pariete fixos,
Et bellatorum ſigna decúſque patrum.
Hoc fuit Arthuri, magni hoc geſtamen Oëni,
Hic conſanguinei Davidis enſis erat.
En galeam horribilem criſtis et ſanguine tinctam!
Hanc rapuit cæſo principe victor avus.
En hìc! magnanimi præclara inſignia patris,
Hæc mea victrici rapta trophæa manu.
Vos in virtutem ſtimulent modò facta parentum,
Sic ortis tanto ſtemmate creſcat honos:
Cætera quæque ruunt; multos demiſſa per annos
Splendidior noſtra eſt nobiliórque domus.

Placet experientia veri.

JAM ſatis exploſis atomis, Epicure, tuorum,
Fluximus abrepti vortice Carteſii.
Regia ſub Carolo Phyſicorum Academia ſurgit,
Conjecturarum reſpuere auſa fidem.


Hæc

Hæc demùm veterum deliramenta retractat,
Utitur et modulis ponderibúſque novis.
Arguit errores rationis ſenſus avitæ,
Et fiſſis ſpeculis pandit ad aſtra viam.
Jam tandem ipſe oculus de lumine judicat, auris
De ſonitu, corpus ponderat ipſa manus.
Hinc Veneres natura ſuas tentata recludit,
Nec ſacrum in tenebris abdit, ut antè, caput.
Hinc doctis magis illa placent, quæ vera probavit
Hawkesbeius, quam quæ dixerat Ipſe Plato.

Nocet experientia veri.

Infelix, ævo deformis, et indiga rerum
Reptat anus, pagi terror onúſque ſui.
Sæpius hanc latuiſſe ferunt ſub imagine felis,
In baculo Aëriam ſæpius iſſe viam.
Faſcinat hæc agnos, vaccarum hæc ubera ſiccat,
Hujus ab intuitu ſudat et horret equus.
Hanc tandem, ut verum dubio procul omne probetur,
Exploraturis villula damnat aquis.

Nam



...m.

...ter

Pag. 137

138

...des. 139

140

ibid.

141

142

ibid.

143

144

ibid.

145

146

147

ibid.

148

149

ibid.

150

Nihil

Nihil eſt prodire tenus ſi non datur ultrà. 151
Ne monſter digito prætereuntium. - 152
Cœlum mutat animum. - 153
Tumulo ſuperaddite carmen. - - *ibid.*
Maledicta ſpreta exoleſcunt. - - 154
Πασῶν μανιῶν μία μορφή. - - 155
Omnia fatis In melius niti. - - - 156
Me mendax infamia terret. - *ibid.*
Cede potentis amici Imperiis. - - 157
Nil ſiccis durum. - - 158
Luxuria plus nocet reipub. quam avaritia. - 159
Deſcendat licet a ſummo non vergit ad imum. 160
Abundans cautela nocet. - - - *ibid.*
Minus ſibi tribuit qui ſe nemini comparat. 161
Me raris juvat auribus placere. - - 162
Amoto quæramus ſeria ludo. - - *ibid.*
Facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ———————— 163
Fronti nulla fides. - - - 164
Ignoti multa cupido. - - - 165
Aut Cæſar aut Nullus. Cæſar. - - *ibid.*
Nullus. - 166
Dapibus menſas oneremus inemptis. - 167
Dapibus menſas onerabimus emptis. - *ibid.*
Μέγα βιβλίον μέγα κακόν. - - 168
Μέγα βιβλίον μέγ' ἀγαθόν. - 169
Ars felicior ingenio. - - 170
Miſerá felicius arte Ingenium. - - *ibid.*
Si pranderet olus patienter, regibus uti -
Nollet Ariſtippus. - - - 171
——— Diogenes ſi ſciret regibus uti -
Non pranderet olus patienter. - - 172
Terentius eſſe mallem quàm Roſcius, - 173
Roſcius eſſe mallem quàm Terentius - *ibid.*

Stultitiam

INDEX *Thematum.*

Stultitiam patiuntur opes. - - 174
Stultitiam non patiuntur opes. - - *ibid.*
Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſunt ſcripta meri potoribus. - 175
Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. - 176
Futilis auctor, qui in diem ſcribit. - *ibid.*
Utilis auctor, qui in diem ſcribit. - 177
Optandus eſt medicus, qui aliquando ipſe ægrotaverit. 178
Optandus eſt medicus, qui nunquam ipſe ægrotaverit. 179
Oderint, dum probent. - - *ibid.*
Dum ament, improbent. - - 180
Vulgus amo et colo. - - 181
Odi vulgus et arceo. - - - *ibid.*
Poſitum ſic tangere nolo. - - 182
Poſitum ſic tangere malo. - - 183
Laudo dapes menſæ brevis. - - *ibid.*
Odi dapes menſæ brevis. - - 184
Nulla manere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. - 185
Nnlla manere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſunt ſcripta meri potoribus. - 186
Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo. *ibib.*
Sapit veteres ſtatuas Damaſippus emendo. 187
Nec Cæſar nec Nullus. - - 188
Aut Cæſar aut Nullus. - - - *ibid.*
Poſſunt, quia poſſe videntur. - - 189
Nequeunt, quia poſſe videntur. - - 190
——— Miſeri, quibus eſt fortuna peracta -
Jam ſua - - - - 191
——— Felices, quibus eſt fortuna peracta -
Jam ſua. - - - - *ibid.*
Ne cui de te pluſquàm tibi credas. - - 192
Cuivis de te pluſqàm tibi credas. - - 193

Nocet

[illegible] - 194
[illegible] - 195
[illegible] - ibid.
[illegible] - 196
[illegible] - 197
[illegible] - ibid.
[illegible] optet. 198
[illegible] optet. 199
[illegible] - 200
[illegible] - 201
[illegible] - ibid.
[illegible] - 202
[illegible] - 203
[illegible] 204
[illegible] - 205
[illegible] - ibid.
[illegible] - 206
[illegible] - 207
[illegible] - 208
[illegible] ibid.
[illegible] - 209
[illegible] 210

LUSUS

WESTMONASTERIENSES.

SES.

M.

mutantur

dere noſte

perorum

ſimulare

Sic

Sic liceat Plautum noſtro donare theatro,
Ut ſibi Romanos plaudere credat avos.
Hìc habet aſſuetas Latiis ſermonibus aures,
Et ſpectacrices hìc habet ille togas.
Non coit hìc craſſum temerè in ſubſellia vulgus,
Nec plaudit ſtultis turba proterva jocis.
Qui coluêre togam, quos et coluêre togati,
Hi nobis addunt et tibi, Plaute, decus.
Nunc gravis et ſapiens nimios depone lepores,
Et, qui vel Flacco diſplicuêre, ſales.
Sic loquere, ut doctos teneat facundia Patres,
Et placidâ poſſit fronte manere Cato,

EPILOGUS.

Sosia loquitur.

Jam Labor in fine eſt; petit æthera Jupiter, et Te
Agnoſco, Amphitruo, transfuga rurſus herum.
Naſcitur exacto maturi temporis orbe,
Summum cui patrem non pudet eſſe Jovem.

Quod

Quod mare? quæ terra Herculei non plena laboris?
  Quæ monſtra, et quas non contudit ille feras?
Huic Nemeæ ceſſit moles, huic fertilis Hydra,
  Nec quid in Alciden illa vel illa valet.
Huic rex tergeminus Calpes, quam juſſerat orbi
  Metam eſſe Herculeâ fixa columna manu.
Par leo vincendus Gallis nunc ſævit in arvis,
  Et monſtra Hiſpanos pernicioſa premunt.
En Avus atque Nepos cladem exitiúmque minantur;
  Geryonis gemini quis novus ultor erit?
Hoc opus, Anna, tuum eſt, ſit felix omen; et illa
  Imperiis metam det, Lodoice, tuis.
Fœmineam geſſiſſe colum tu diceris olim,
  Alcides; clavam nunc gerit Anna tuam.

Prologus ad Andriam.

Davus loquitur.

Quod mirâ fertur ſcripſiſſe Terentius arte,
  Proferri vobis noſtra theatra volunt.

Actores iterùm vates habet ille togatos,
Sed toga nectendis non erit apta dolis.
Ergò Davus herum melius quo fallere poſſim,
Fas ſit honoratam depoſuiſſe togam.
Hìc nihil interſit Davúſne loquatur herúſne,
Sed par perſonæ detur utrique favor.
Nec levis eſt nobis ſpes; cum peregrina probentur,
Et quæque Italicos advehat aura greges.
Fama poetarum languet neglecta priorum,
Utque ſui vates priſcà theatra ſilent.
Sic mores, ſic et mutantur tempora; ſcena
Concinit ut tragicis jam ſua fata modis.
Quem non dulcis enim rapiunt modulamina vocis?
Et palmam primus tu, Nicoline, refers.
Hìc ſublime quatit mellità voce theatrum
Neſcio quem fugiens Itala ſponſa virum.
Sed vobis adeò ſi vox placet Itala, ſaltem
Romanos liceat jam placuiſſe ſales.

EPILOGUS.

Simo loquitur.

Dum, ſpectatores faciles, aulæa manetis,
  Ætas me tacitum non ſinit eſſe ſenem.
Nam mecum recolo quantùm mutatus ab illo,
  Qui nunc eſt, ſurget Pamphilus ille meus.
Non curæ Venus huic, nec pronuba Juno, nec uxor;
  Pieridúmque magis cras ſtudioſus erit.
Tu, qui fallis herum contemnens vincla mináſque,
  Præmonito rurſus cras tibi dico cave.
Critonem doctas (qui rarò viſit Athenas,
  Non ultrà proprios et ſpatiatur agros,)
Lexica volventem liceat cras cernere, quantas
  Pelidæ turbas ocrea Græca dabit.
Suaviter arridens et ſemper garrula Myſis
  Mutabit nitidæ ſyrmata longa ſtolæ,
Hebræam et Græcam cum poſcant tempora vocem,
  Heu! metuo fiat ne minus illa loquax.
Méque, meúmque Chremem, quos amplo tegmine, barbâ
  Prolixâ, et baculis creditis eſſe ſenes,

Cras

Cras lævi facie imberbis ſpectabit Apollo,
Et perâ haud annis tardius ire graves.
Sed ſi forte Cato ſedeat quis fronte ſeverâ,
Et damnet pueros nos ſimulâſſe ſenes,
Exeat: at plaudat veſtrûm pars optima, Vobis
Si ſapimus, nobis deſipuiſſe placet.

Prologus ad Eunuchum.

Quæ quondam Romæ ploràſti fata, Terenti,
Inter nos eadem te ſubiiſſe dole.
Illìc a ſalibus conditis arte Quirites
Abduxit curtâ veſte rotundus homo.
Doctus nunc ſalere, et nunc ſe librare volantem,
Et nunc ſuſpenſum pervolitare cadum.
Vulgi oculos funis magis allexiſſe, lepores
Quàm poterant aures detinuiſſe tui!
Hic quoque inurbanum ruit in ſubſellia vulgus,
Uſque adeo eſt operi plebs inimica tuo.
Venit, ſcurrata eſt et gutture ſtridit eodem,
Quo ſua per plateas oſtrea vendit, anus,

Venerunt

Venerunt tecti denſâ fuligine fabri,
Quóque domi ſonitu perſtrepuère, boant.
Sutores ultrà crepidam fremuère cachinnis,
Et ſtrepere a ſponſis hos didiciſſe putes.
At nunc, nunc velles quos ipſe videre, Terenti,
Dignantur cuneos nobilitare, Viri.
Vulgi rauca ſilent excluſi murmura, garrit
Præter perſonas, Comice, nemo tuas.
Si placet hoc vobis, nos non tacuiſſe juvabit;
Et plauſus, ſi vos non taceatis, erit.

EPILOGUS.

Thraso loquitur.

Dum certis Britones ducuntur in arma triumphis,
Felicíque urbes obſidione premunt;
Dum geſtant alii, quæ jactent, vulnera; jactant
Dúmque alii nullà vulnera facta manu:
Illæſi in tenues nos ducimus agmina ſcenas,
Et pueri in ſoccis ludimus arma virûm,

Thaidis

Thaidis invictas fruſtrà tentavimus ædes,
Quantum eſt fœmineas nunc ſuperare manus!
Et tamen ut vibrent bene paſti fortius arma,
Heroas veluti fingis, Homere, coquos,
Sic noſtrâ in pugna cautè fit furcifer Heros,
Et metuenda bovi corripit arma coquus.
Quin nos excluſos fas eſt cantare triumphum,
Jactandi ratio ſic hodierna jubet.
Ipſe meos faſtus imitaris, Gallice; grandi
Cur mihi non liceat voce ſonare tuâ?
Non ego pulſus eram immeritam patiendo repulſam,
Et quamvis victus, non ſuperatus eram.
Aufugere a letho non eſt amittere vitam,
Nec damnum eſſe poteſt, eſt ubi parta ſalus.
Cedere velle loco non eſt ſecedere cogi,
Nec removere pedes eſt dare terga fugæ.
Jactat idem, cùm nil faciat, gens Galla Thraſonum,
Ut verbis valeant, cùm nihil enſe queant.
Dura quidem ſors eſt, ſoli ſua prælia narrant,
Nec paraſitus erit, dum nihil eſt quod edat.
Dux omnis, Lodoice, tibi Thraſo cogitur eſſe,
Et Thraſo quiſque ſibi cogitur eſſe Gnatho.

Prologus ad Adelphos.

Cum alii nomen præ ſe ferentes regium,
Mercede conducti hiſtriones quaſlibet,
Plaudente toto populo, nugas venditant;
Nobis egregiam pace veſtrâ regiis
Liceat alumnis agere Adelphos fabulam,
Dignum quæ placeat eruditis et bonis.
Liceat et gratulari ipſi Terentio
Vos conſecuto auditores et judices.
Non huc ad oſtentandam pulchritudinem
Ornatúmve nitidum occurrunt mulierculæ,
Indoctæ ſcilicet illæ excluduntur foras,
Ut ut belli aiunt factum illiberaliter.
Nec hìc adoleſcens quiſpiam linguæ inſcius
Romanæ, at formarum ſpectator elegans,
Caveam obambulat, et admiratur virgines.
Tales ad publicum theatrum confluant,
Ad eas cantatiunculas extraneas,
Quas aut Itali aut Galli recentes cantitant;
Quibus expedit linguâ parum notâ utier,
Quibus vel ſumma laus eſt non intelligi.

At

At quò penitius inſpicitur hic Comicus,
Eò magis eruditis et ingenuis placet.
Nam quicquid vitii corrigendum ſenſerit,
Monſtrat quidem nec monſtrando tamen edocet;
Nec incautè aliquem adiget contrarium in malum.
Freti igitur veſtro prodimus Terentio,
Securi plausûs, quem a doctis hæc elegans
Extorſit uſque, et extorquebit fabula.

EPILOGUS.

Demea loquitur.

En! ego quem cunctis inviſum reddidit olim
  Nubila rugoſis frons caperata minis;
Jam bene mutatam duxi in contraria mentem,
  Nec parcus, triſtis, ſævus, agreſtis ero.
Si quid peccatum eſt, veſtrum eſt ignoſcere; mites
  Demea ab exemplo vos monet eſſe ſuo.
Nos etiam a ſcenis aliquid didiciſſe fatemur,
  Exemplar morum noſtra theatra dabunt,

Quæ

Quæ ſit cura patrum, qui lenis candor in illis,
Quali animo in patres nos decet eſſe pios,
Diſcimus hìc etiam non caſtigare minores,
Cùm nos Cenſòres eſſe ſenecta dabit.
Tempora ſed fortaſſe ſenes laudabimus acta,
Si nocti huic plauſus gratia veſtra dabit.
Humanæ varios hic vitæ ludimus actus,
Naſcimur hìc, Patres quod voluêre, ſenes.
Bis puer eſſe ſenex fertur, venientibus annis
Gloria ducetur noſtra bis eſſe ſenes.

Prologus ad Eunuchum.

Nihil opus eſſe arbitor, Eunuchi Prologus
Malevolorum dictis ut hìc reſpondeat,
Quæ, niſi reſponſum eſſent, periiſſent illicò.
Secuta eſt vivum invidia, ſed apud poſteros
Inclaruit ſatis Afri noſtri gloria.
Vobis is certè charus, qui doctiſſimis

Et

Et placuit ſemper, et placebit unicè.
Qui in ſcribendis comœdiis uſus eſt ſtylo
Adeò polito, adeo venuſto, ut nihil ſuprà.
Nempe inficetis ille nuſquam argutiis
Suas contaminari voluit fabulas.
At hominum mores, ingenia, et variam indolem
Edoctus uſu penitius cum inſpexerit,
In ſcenam ante oculos protulit feliciter.
Quare æquum eſt vos attendere, atque ignoſcere,
Si eximiè ſcripta non agamus optimè.
Hoc quippe a nobis munus ornari vetat
Impubis ætas his concluſa mœnibus,
Morúmque neſciens, quos in ſcenam damus.
Quippe elegantem Phædriam, quid Chæream
Decere poſſit, fando vix accepimus.
De menſis noſtris nullus adſuevit Gnatho,
At at Thraſones glorioſos milites,
Quis tam lateſcit, quin offendat plurimos?
Quorum autem voces et geſtus imitarier,
Inceſſúmque elatíque vim ſupercili,
Pudens perpaulùm nemo confidat puer.
Ædilis hic theatrum nullus inſtruit,
Abeſt Attilius, abeſt Ambivius Turpio,
Nec Flaccus quiſquam fecit aut curat modos.

An

An fortè dextræ, an ſint ſiniſtræ tibiæ
Hodiernæ, nil moramur, ſi ſatis ſonent.
En ſimplicem, en ipſiſſimum Terentium!
Cujus etiamnum fabula ſi videbitur
Haud invenuſta, genio id debebit ſuo,
Cum nil ſit adjumenti ad pulchritudinem.

Prologus ad Phormionem.

Tollite, vos, aulæa;——
humilis quæ ſcena paratur
Cernitis, ornatûs quòd nihil intus adeſt:
Quòd fuci nihil eſt, nihil artis; at omnia nudam
Incultæ faciem ſimplicitatis habent.
Antiquam en plateam! celebri cui nomen ab horto,
Quæque, minus quamvis pulchra, pudica magis.
Porticus hìc vetus eſt, vetus hìc ſeſe area pandit,
Una eadem hìc ſemper dividit hora diem.
Tempora mutantur, nihil hic mutatur, eodem
Quin ſtat adhuc eadem fœda columna ſitu.

Hic

Hìc focus eſt ſpeculúmque, et priſcâ in fronte ſupellex,
Mensáque pictoris dimidiatur opus.
Nec quiſquam celerem lychnos emungit in orbem,
Nec coram auletæ ſobria turba ſedent.
Nec geminus miles proſcenia ſervat aperta,
Splendet in anguſto nympha nec una lare.
Quid tamen indoleam? nullis aliundè, Terenti,
Auxiliis, per te dives, egere potes.
Si quid enim lepidum innocuam contexere fraudem,
Caſti ſi quid habent ingenuíque ſales;
Sive juvat purus ſermo, ſeu dulce venuſtas
Attica Romanâ cum gravitate ſonat:
Hæ tuæ erunt, Afer, laudes; tua fama manebit
Integra, nec metuet temporis invidiam.
De nobis metus eſt ſolis: ſin forſitan ullus
Interſit, pueris qui minus æquus erit;
Eja agite; ut veſtrûm ſua gratia detur utrique,
Spectator facilis, plaude; ſevere, tace.

EPILOGUS.

Hegio, Crito, Cratinus.

HEG. Adeſte vos, quæſo; mihi videtur, Crito,
Oportet illos nos affari judices.
CRITO. Ita eſt. Heg. Senior Cratine, ut par eſt,
dic prius.
CRAT. Ego Phormionem veteratorem callidum
A vobis hodie condemnandum cenſeo,
Vel conclamatum eſt de libertate Atticâ.
Si technis legum miſeri irretiti viri
Cogantur uxores inviti ducere;
Res dura et injuſta, exemplique peſſimi eſt.
Dixi. Heg. Perpulchrè ſanè! delirans ſenex! [ſeorſim
Ego autem, quod Cratini pace dixerim,
Ferendam vobis, judices æquiſſimi,
Contrariam omninò ſententiam arbitror.
Durum eſt. Quid tum? ſi nil durum lege fieret,
Demptâ lite, Advocati occiderent plurimi.
Nam noſtrum eſt, non tantum a violatis legibus,
Sed et tuendis argentum expiſcarier.
Injuria lege facta non injuria eſt.

Me igitur ſuaſore, victor abeat Phormio. Dixi.
CRITO. Rectiſſimè ambo. Nam lex quælibet
Prout in rem ſit vel rata habenda eſt, vel irrita.
Vobis opinor, Arbitri doctiſſimi,
Neque opus eſt huic neque illi contradicere;
Sententià at unà utriſque placere partibus:
Omiſsâ causâ, quam improbatis ſinguli,
Cui parti quiſque faveat, dico, Plaudite.

Prologus ad Adelphos.

Spectabant primos Romani in ceſpite ludos,
Scenam illis viridem frondea ſylva dedit.
Lignea dein extructa brevi compagine moles
Spectac'lo poterat vix ſupereſſe ſuo
Pompeius tandem manſuro e marmore fixas
Et muſis dignas juſſit habere domos.
Fundata Auguſti certatim auxêre theatra,
Laudibus et Divi conſuluêre ſuis,
Noſtra rudis quondam primæque ſimillima ſcenæ,
Sedem ubi vix paucis menſa vel arca dedit.

Deinde

Deinde hæc allatis ſtruimus ſubſellia tignis,
Major turba loco commodiore ſedet.
Anguſtà ſed adhuc, quamvis puer, hiſtrio ſcenâ
Æſtuat, haud ſpatium, quo vel anhelet, habens.
Splendeat ut dignum et Vobis et Vate theatrum,
Veſtrum eſt in muros ſaxa vocare novos.
Surgant auſpiciis veſtris, Rege auſpice, ſurgant,
Nec fere perfectum deſtituatur opus.
Abſint Italici, clarúſque Vitruvius abſit,
Clarior eſt nobis nobiliórque manus.
Sic non ulterius jactabis, Roma columnas,
Sic vincent ſcenas noſtra theatra tuas,
Terrarum domini quas ſpectavêre Quirites,
Cæſarei et veteres quas poſuêre Dei.

EPILOGUS.

DEMEA loquitur.

PERPULCHRE ſanè mihi proceſſit hactenus
Benignitas ſubita et de alieno largitas,
Per quam noſtræ (niſi fallor) intùs familiæ
Satis placui; at ſuadendum aliquid reſtat foris,

Quod blandum deceat hortatorem Demeam.
Locum hunc totum nimis eſſe anguſtum exiſtimo,
Iſta platea angiportum, ſpatium hoc parvulum
Vix ad pedem mihi proferendum ſufficit.
Nihil hìc lauti, nihil ornamenti cernitur,
Cella ubi potet, vel pôtus dormiat Syrus,
Vix ludis ſcenicis ac nè vix convenit.
Trabem illam ſummovendam, et utrinque parietes
Ego quidem diruendos eſſe cenſeo,
Et alios extruendos extemplò novos,
Columnâſque erigendas et tectum amplius;
Paulo plus magnificentiæ volò conſuli.
Sic mihi viſum; ſic omnes hi magnopere volunt,
Revera et ex animo hoc cupit ipſe Mitio.
At ſiquis undè fieret id ſumptûs rogat,
Meâ non refert; curent alii ſcilicet:
Officium præſtiti rem ſuadendo meum.
Ut ut ea ſunt, omnis res in tuto mihi eſt,
Si vobiſcum ineam, ſpectatores, gratiam;
Id unum uxorem: atque mihi perſonam ſenis
Si non gerenti at exuenti plaudite.

Prologus ſecundus, ut agebatur XV. Calendas Decembris.

Virginis auguſtæ ſemper venerabilis umbra,
(Si quid adhuc hominum rebus adeſſe vacas,)
Aſpice, perpetuos inter quos ſolvit honores
Natali lætâ gens pietate Tuo,
Aſpicias propriæ ſoccos luſûſquè catervæ,
Atque Tibi aſſuetos ſæpe placere ſales.
En! humiles ſcenas qualis conſeſſus adornat,
Maxima pars noſtræ clara propago Scholæ:
His quoque, ſint titulis utcunque et honoribus aucti,
Haud decus, haud laus eſt ima fuiſſe, tuos.
Hinc ultrò gratis animis accepta reponunt
Dona, et collegî nobile ſurgit opus.
Suaviter incumbunt concinnis tecta columnis,
Frons ſpecioſâ decens et laqueare nitet.
Splendida, ſublimis, dignam ſe fabrica tota
Fundatrice ſuâ jactat et Artifice.
Nec favor intereà Procerum, nec Cæſaris abſunt
Munera, nos et adhuc regia cura ſumus.

Quid petat ulterius; quid ſpe ſibi fingat alumus?
Lætitiâ an potis eſt uberiore frui,
Tempora præteriti ſi fas foret aurea ſæc'li,
Et revocare tuos, ELISABETHA, dies.

EPILOGUS.

CANTHARA loquitur.

MISSA peroratum venio paupercula nutrix,
Simplicis et mundæ ſedulitatis anus;
Moribus, ornatu, atque, exceptis excipiendis,
A capite ad calcem Canthara vera — mera.
Quin ades, o bone Fauſte, et me quoque finge puellam
Pulchram, habilem, inſtructam mille placere modis,
Lintea num fluitant a vertice longa? capillum
Num mihi compreſſum multa retorquet acus?
Num maculis varior majoribus atque minutis,
Colláne marmoreos candor ad uſque ſinus?
Amplo circuitu ſe ſublevat Amphitheatrum?
Dicite ſepteno num ſtat in orbe rigor?

Ut

Ut ſpe lactamur vetulæ! nil virgula prodeſt,
Nil proſunt artes, improbe Fauſte, tuæ.
Canthara adhuc, eadem ſum Canthara; vitta tegebat
Canos, et canos nunc quoque vitta tegit.
Lenta mihi pendet veſtis, quæ lenta pependit;
Et pepla ipſe eadem, quæ rubuère, rubent.
Ecce! idem a zonâ pendet mihi cultus anilis,
Idem in turrito vertice nutat apex.
Torpet iners venis etiamnum ſanguis; in ore
Nec pullimus ineſt dens, neque denticulus.
Inque genas ſubiit mihi pilus et alter, et alter;
Lilia quas memini, quas decorâſſe roſas
Nec tamen incuſo Parcas, nec queſtibus ægris
Ingemo, damnoſam me minuiſſe diem.
Reſtituet lætam mihi gratia veſtra juventam;
Plaudite vos faciles — Canthara non anus eſt.

Prologus tertius.

Vidimus Italici nugas pompámque Theatri,
Hauſimus et molles aure lubente ſonos.

Fortia

Fortia corda virûm cantu muliercula traxit,
Semivirum teneræ deperière nurus.
Cantor et auditor, ſimili languòre ſòluti,
Leniter ad tremulos contremuère modos.
Hæ tibi erant laudes, hinc tu ſpolia, Itale, larga
Fers Tramontanas prædo canorus opes.
Hactenus aſtutè ; ſed cum noſtra arma laceſſis,
Et cæſtus tractas, et grave Martis opus ;
Non ſinit hoc Britonum vulgus, genus acre virorum,
Æſtuat et ſtomachans pectore cuique furor.
Cerdo, auriga, faber, lanio, armentarius, omnes
Exardent validas conſeruiſſe manus.
Omnes exardent ; reliquis ſors prætulit unum :
Prodit uterque pugil, congreditúrque ferox.
Brachia jactatà fruſtrà movet Italus arte,
Stat ſolidus contrà víque animíſque Brito :
Attonitúmque hoſtem premit irrequietus, et urgent
Genua, pedes, cubiti, dextra, ſiniſtra, latus.
Inſtans præcipitem victor volvítque revolvitque,
Et mugit, feſta voce remugit Iö
Se, tali quondam felix virtute ſuorum,
Extulit ad ſummos Martia Roma Deos,
Sin etiam priſci facundia quæritur ævi,
Et quæ Romano vena lepore fluit,

Expulit

Expulit has nova Roma foras: en! ſub lare quali
Ingenuos ſpargit claſſica Muſa ſales.
Degeneres nil facta patrum nil ſcripta morantur
Italici, ſunt vox prætereàque nihil.

EPILOGUS.

CTESIPHO loquitur.

BELLULE mi, dormi, mi belle puellule, dormi;
Quid tibi vagitum, quid tibi, belle, movet?
Arctæ faſciolæ tua num corpuſcula lædunt?
Pungit acus teneram num male fixa cutem?
O tacet, omnia recta—puer bone, macte quiete,
Dum ſpectatores alloquor ipſe, ſile.
Surripui hunc cunis, agitant dum gaudia matres
Obſtrepera, atque intùs Canthara potat anus.
Nam vobis ſtatui noſtrum monſtrare puellum,
Tantulus eſt noſtræ ſpes columénque domûs.
Dicite cui ſimilis, nam me quoque ſæpe rogavit,
Spectantes nutrix ſæpe rogavit idem.
Dum pueri explorans ſputa inter et oſcula vultus
Callida gentiles indicat ore notas.

Frontem

Frontem utriuſque, en! inquit, avi; naſúmque paternum
  Mentum, labra, genas, oſcula matris habet.
Inde ſuos aviæ manifeſtè oſtendit ocellos,
  Et lepidos riſus, ingeniúmque meum.
Herclè! omni ſcitus puer eſt ex parte, ſed eheu!
  Nam fateor, juſtum naſcitur ante diem.
Nemo dedit, tacitos curavit nemo hymenæos,
  Eſt tibi legitimus nemo, miſelle, pater.
Ergo cavete omnes — agitur res ſeria — veſtras
  Ponetur, ſi non plauditis, ante fores.

Prologus ad EUNUCHUM.

INGENUÆ liceat luſus celebrare Camœnæ,
  Egregium antiquæ laudis et artis opus,
Spectatis doctos quæ detinuère Quirites,
  Plaudere quæque ingens Scipio ſuetus erat.
Credimus haud Italo nunc hæc placitura palato,
  Sunt alii mores deliciæque novæ.
Scurra levis, pannus cui ſplendidus unus et alter
  Aſſuitur, ſcenæ conſpiciendus adeſt.

Ore

Ore niger Stygio, graciliquе ſimillimus umbræ eſt,
  Simia nec volitat mobilitate pari:
Ad latus obliquè ligni ſibi ſubligat enſem,
  Hinc fidum ingenii ſemper acumen habet.
Scilicet hæc Italis hodiernis comica vis eſt,
  Hos colit inſipidos Roma faceta ſales.
Nou ita ſpondebant veterum præſagia vatum,
  Tale Afer poterat nil timuiſſe ſibi.
Exultat verſis jam noſtra Britannia fatis,
  Jam rudis haud tellus hoſpitibuſve fera;
Quærentes patriam Muſas, quas barbara Roma
  Expulit antiquis ſedibus, illa fovet.

EPILOGUS.

GNATHO, SANGA.

G. ME paucis audite prius quàm ſurgitis oro,
  Vóſne ſinam vacuo ventre redire domum?
Exi, Sanga, foras, heus! furcifer, ocyus exi,
  Dic quas ſufficiat noſtra culina dapes.
S. Ah! paraſite, gulam tibi ſpes fruſtratur hianti,
  Otia jam peragunt ignis, ahena, veru.

G. Quid

G. Quid dapis heſternæ? *S.* Quid? nec fragmenta ſuperſunt,
Omnia Myrmidones diripuère tui.
G. Aſt ego quos cernis cuneos complere vocavi,
Et nil hoſpitibus, nil niſi cœna deeſt.
S. Oblitus tu nempe foris cœnare Thraſonem,
Hinc adeò eſt comis magnificúſque GNATHO.
Anne tuas credis, vafer, ignorarier artes,
Ludere tot ſummos quo potes ore viros?
G. Qui placeo dominis, patiar ludibria furum?
Tene ultra patinas quid ſapuiſſe, ſcelus?

Vos, o Patroni, veniam indulgete fatenti,
Intùs debueram fortia verba loqui.
Sed tamen hìc quanquam infeliciter omnia cedunt,
Veſtri convictûs ne mihi deſit honor.
Me vos invitate, in me mora non erit ulla;
Nocte lubens vobis qualibet hoſpes ero.

Prologus ad ANDRIAM.

JAM triſtes lento procedunt ordine menſes,
Et longæ noctes et ſine ſole dies.

Auræ

Auræ particulam divinæ frigidus aër
  Degravat, et mentem nubila craſſa premunt.
Effœtos annis terit æger anhelitus artus,
  Tuſſis vivacem longa fatigat anum.
Nunc Hypocondriaci languent torpore Novembri,
  Vix et vix molem ſpiritus intus agit.
Seu Phthiſis exeſis tabem pulmonibus infert,
  Irrequietè urgens ſeu quatit aſthma latus.
Pendulus a ſalice hic ſuſpiria claudit amator,
  Ille cupidineam reprimit amne ſitim.
Quò vergens exit magis illætabilis annus,
  Poſcit eò lepidos æquius hora ſales.
Abſit ſol nobis, abſit medicaſter Apollo,
  Præſentem Phœbus ſed ferat alter opem.
Divinam fugiunt curæ morbíque Poeſin,
  Exhilarat triſtes, ſi nequit herba, chelys.
Si quem ſpectantûm penetrabile frigus adurit,
  Si cui præ reliquis eſt ſua cura ſalus;
Ingenuo riſu pulmonem agitare ſalubre eſt,
  Et tempeſtivis plauſibus oſſa calent.
Omnibus ergo ſimul vobis Comœdia proſit.
  Vos ridete ægri, plaudite vos gelidi.

EPILOGUS.

Crito loquitur.

Ecquis ibi eſt? audite aliquis. Puer, endromidem da,
Adde manum, (quid ſtas lentus?) utramque manum.
Da mihi jam terrorem, et jam duo fulmina belli,
Et jam balteolum, cætera portet equus.
Si mea ſunt (o ſunt) mihi ſalva viatica, rite
Inſtruor, his armis tutus, et his animis.
Hiſce ego latrones abigo, corvóſque, canéſque,
His pluviæ ſubigo vim Boreæque minas.
Seu per planitiem contendo, ubi rarior agris
Stat rubus, aut inopi ſtramine tecta caſa:
Sive eo per ſalebras et per prærupta locorum,
Et per creſcentis fragmina longa viæ.
Si non obliquus ſedeam, ſi a poſteriori
Integer et ſalvus, cætera ſanus eo.
Improba latrantis ſtomachi cum murmurat ira,
(Uſque adeò res eſt imperioſa fames)
Divertor, mihi cœnam, et equo ſua pabula poſco,
Neu mala defraudet, viſo, reviſo, manus.
Seligere eſt lectum mihi proxima cura, labórque
Detrahere eſt ocreas proximus, et labor eſt.

Accumbo

Accumbo cœnæ et mecum hoſpes, ſeu rogo, ſeu non;
 Et bibit et comedit, plus tamen ille bibit.
Cras venit, atque albo, ſed non felice, lapillo
 (Horreſco referens) billa notata venit.
Imprimis mihi panis, Item mihi potus, Itémque
 Pullus, Item vinum, nil niſi cum pretio.
Solvo, enchiridium repleo, diſcedo, ſalute
 Acceptâ et dictâ, vive valéque. Vale.
Puer. Te tuus expectat ſonipes, neſcitque morari
 Impatiens. *C.* In me non erit ulla mora.
Vos quibus hoſpitibus placidis et ſuavibus utor,
 Eſte ſalutati, docta corona, mihi.
Eſte, o ſpectantes, animis, quod et eſtis, amicis,
 Et pede inoffenſo, dicite, perge domum.
Accipio felix omen, plauſuque ſecundo,
 Quo fauſtum inſtitui, pergo viator iter.
Vivite felices, ego quandocunque redibo,
 Veſter ego grato corde redibo Crito.

Epilogus ad Adelphos.

Demea, Mitio, Sostrata.

D. Ulterius paulò ludam in ſponſalibus iſtis,
 Exi, tu frater; tu nova nupta, veni.

S. En

S. En ego! præteritam revocat lux feſta juventam,
M. Hei mihi? cui miſero ſponſa videris anus.
D. Quid ceſſas rugis caperatam exporgere frontem?
Eja age! feſtiva eſt hæc celebranda dies.
M. Nulla parata intùs tibicina, nulla vocatur
Quæ geniale canat carmen. *D.* At ipſe canam.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!
Succinat aſſuetis Pſaltria noſtra modis.
Reſtim ducto libens. *S.* Ego te ſequar ordine.
M. Tune?
S. Non mihi ſaltandi præterière dies.
M. At non convivis genialis cœna parata eſt.
Nec ſatis ampla mihi eſt jam patefacta domus.
D. Ne multos adhibe, præſtò eſt cum conjuge conjux;
Tæda placet verè, quæ ſine teſte placet.
S. Mitte ſupervacuum quæſo, mi chare, tumultum,
Jam parcam propriæ non aliena rei.
Grande ſupercilium jubeat diſpendia cenſûs:
Intro humiles noſtros et ſine dote lares.
M. Non hos alloqueris paulùm? non ſumptibus uſus,
At verbis. *D.* Quorum copia larga tibi.
S. Dilecti domini mandata capeſſere fas eſt.
Atque libens equidem pareo juſſa loqui.
Oro, connubium plauſu ſtabilite ſecundò,
Et mihi ſubtriſtem conciliate virum.

D. Ferte,

D. Ferte, precor, faciles placidæ fauſta omina frontis,
Vivite felices, blanda corona ſonet.
M. Sic vel longævo mihi vinc'la jugalia cordi,
S. Et vel nolenti nupta placebit anus.

Prologue to the Cheats of Scapin,

Spoken by Thrifty.

I'm grown ſo old within theſe few Days paſt,
I fear I ſhant grow young again in Haſte:
A Hat to hide, with Brims of ample *Space*,
The wrinkled poor Remains of a good Face;
A Collar Band to ſhew I thrifty grow,
Wide ruſſet Shoes betokening gouty Toe;
A Cloak to hide the Follies of my Youth,
Almoſt perſwade me I grow old in Truth:
For him to trick me — For that luſty Lad,
That diſobedient Rogue to call me Dad,
Our Wives to call us old — would make one mad.

R We

W' expect an Epilogue perhaps you'll ſay,
Or elſe a Prologue to the English Play:
Your Pardon, Sirs, for 'tis ſo natural
For us old old Folks to tell a harmleſs Tale
Of our own ſelves, ſcarce Two in Twenty fail.
Beſides I've both in one contriv'd to join,
For I'm as thrifty of my Wit as Coin.
You all well know your Entertainment here,
A ſmall Repaſt to pleaſe the Eye and Ear;
Unleſs you like the homely Fare you ſee,
You'll all go ſupperleſs to Bed for me.
For to be plain with you, we've nothing more,
Times are ſo hard, and Thrifty is ſo poor.

EPILOGUE,

Spoken by Scapin.

And did you think that I would let you go,
And not addreſs you in a Word or two?
No, I am better bred, I'd have you know.

Beſide,

Beſides, I have a Project to advance,
I'm thinking how to take a Trip to *France*,
The Laurels mighty Lewis gain'd when young,
The Darling Subject of each Poet's Song,
Since *Britiſh* Squadrons were by Churchill led,
Are blaſted, wither'd on his aged Head:
His ill-got Wreaths how ſure he was to loſe!
ANNE and Her Warrior Churchill were his Foes,
What mighty Hero dare oppoſe theſe Two?
Pallas directs, *Mars* ſtrikes th' unerring Blow.
They ſay that now That Monarch is ſo poor,
He ſcarce is worth one ſingle *Lewis d'ore*:
Scarce ſees a golden Image of himſelf,
His Mint-Bills raiſe a Mob inſtead of Pelf.
Now could I find ſome cunning Trick to raiſe
Money for him, by juſt or unjuſt Ways,——
And fleece his Subjects — I could cheat him too,
I've a ſmall Talent that Way, you all know:
For as the Cuſtom is — For my own Pay,
I eaſily could ſlink one half away,
For Officers, Dragoons, *et cætera.*
What think ye, Sirs? I muſt confeſs indeed,
The Project ſeems too daring to ſucceed:
I'll lay it by, and prove an honeſt Man,
And only cheat my Maſters — when I can.

State-Tricks I'll leave to wiſer Fools than me,
And ſhew my Tricks to pleaſe good Company.
Lewis I'll leave, the Man by Slaves ador'd,
To ANNA's Council, and to Churchill's Sword.

Prologue to Henry the Fourth.

Lately when humble Comedy we play'd,
And our beſt Woman was my Lady's Maid,
When feign'd old Age bow'd down our youthful Backs,
And Liveries ſhew'd us to be ſaucy Jacks;
Even when the beſt no higher could aſpire
Than to a City Rake or Country Squire;
How hardly then could we Attention gain!
In Pain we acted, what was heard with Pain.
But now the Humour of the Fair we ſee,
Pomp and fine Cloaths can gather Company.
On the faint Image of a Theatre,
A King can make a glorious Court appear.
There's ſecret Magick in a Man of Arms,
And we all know, a red lac'd Coat has Charms.

Trumpets

Trumpets and Drums can call you from afar,
And *Britiſh* Ladies can with Courage bear
The rattling Thunder of a mimick War.
For cuſtomary now it is become,
To hear of Battles fought o'er Tea at home.
Your Winter Evening Talk is now of Mines,
Of puſhing Enemies and forcing Lines;
Baſtions, Redoubts, the Counterſcarp and Fort,
Soften'd into the Language of the Court.
The Sluggard Loiterers the Fair diſdain,
And ſmile on none that make not a Campaign.
Hence the gay Brave for duſty Honour fly,
To ſtare at Death, and ſnatch at Victory.
Such were the *Britiſh* Dames that heretofore
Our doughty Anceſtors for Battle bore.
Such were the ſmiling Dames that ſpurr'd them on
To ſcourge proud *France*, and ſhake the Rebel Throne.
Such were the Youth, that to th' eternal Stain
Of the *French* Arms recorded Cressies Plain.
Such were the Youth that our fifth Henry choſe,
To tame at Agincourt inſulting Foes,
To tumble the uſurping Scoffer down,
And ſeize by Arms what was by Right his own.
Such were the Youth: but o! could they look down,
With joyful Envy they would bluſh to own

That every Anceſtor is now outdone,
Outſtript in Honour by a brighter Son.
Then could one Victory compleatly great
Secure its Heroe from the Reach of Fate.
How great muſt then the Laurels be that grow,
To crown victorious MARLBOROUGH's careful Brow?
Juſtice and Victory and Heaven are ſeen
To ſhower their Bleſſings on a Favourite QUEEN.
Not yet one Year has undiſtinguiſh'd run,
Without ſome Battles loſt, or Cities won.
To *Blenheim* or *Ramillia*'s bloody Field
Creſſy and *Agincourt* muſt boaſt to yield.
But o! what Nation can pretend to tell
Where *Blaregnies* ſhall find a Parellel?
Reſtore, proud *Gallia*, what you can't maintain,
Leſt taught by dreadful *Engliſh* Arms again,
You boaſt your ancient *Salick* Law in vain;
For the ſame Diadem, that HENRY won,
May crown a Woman on the *Gallick* Throne.

Prologue to the Cheats of Scapin, as it was acted before His Royal Highneſs the DUKE, 1727.

What's ... to Night, Illuſtrious Prince, you've heard,
Hither from *Pagan Rome* has been transferr'd,
For all our Seniors ſpeak is Claſſick here,
And 'tis old Terence has detain'd your Ear;
Who ne'er was honoured thus in any Age,
Tho' ſeen by Scipio on the *Roman* Stage.
But if Your Highneſs condeſcends to ſtay,
We Juniors too, as dutiful as they,
Will now preſent You with an *Engliſh* Play.
Aſſur'd how e'er in others You improve,
Still 'tis Your own, Your native Tongue You love.
But o! accept this all within our Spheres,
This humble Off'ring of our early Years.
When more mature, we ſhall enlarge our Aim,
Attend Your Conqueſt, or enrol Your Fame:
And when renown'd in Arms or Arts You grow,
May place the future Lawrel on Your Brow,
And, Sir, we liſt us in Your Service now.

EPILOGUE.

In ancient Times miſcall'd the good old Days,
When fam'd *Athenians* wrote their Comick Plays;
The *Attick* Tongue I Phormio learn'd to ſpeak,
A very Raſcal I, a very *Greek*;
Dextrous by Laws my Betters to abuſe,
Secure from Loſing, having nought to loſe.
Applauſe to well drawn Life the Audience deals,
For Knaves are full as old as Common — Weals.
Nor reſt I here, tho' free of *Athens* born,
'Tis fit that Travel ſhould the Great adorn.
I meet Reſpect from Strangers, as at home,
By Terence made a Denizen of *Rome*.
My Fame o'er *Alps* a ſecond Journey brings;
From Regions long renown'd for Hate of Kings.
In modern *French* inſtructed by Moliere,
At Court I Scapin ventur'd to appear.
Law Tricks I left, and laid another Train,
For Laws are out of Doors where Edicts reign.
Yet wiſely careful to enſure my Cauſe,
I kept my Knavery, tho' I loſt my Laws.

From

